INSTITUTIONUM IURISPRUDENTIAE ECCLESIASTICAE

Paul Joseph Ritter von Riegger

PAVLI IOSEPHI A RIEGGER

EQ. SAC. CAES. REG. APOST. MAI. CONS. AVL. ACT. IVR. ECCLES. P. P. O.

INSTITVTIONVM IVRISPRVDENTIAE ECCLESIASTICAE

PARS II.

LIBROS I. ET II.

DECRETALIVM

GREGORII IX. P.

CONTINENS.

EDITIO NOVA, ET EMENDATA.



VINDOBONAE,

TYPIS IOAN. THOMAE NOB. DE TRATTNERN

SAC. CAES. REG. AVLAE TYPOGR. ET BIBLIOP.

MDCCLXXIV.

CONSPECTVS

PARTIS SECVNDAE.

LIBER I.

TITVLVS I.

DE SVMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA.

CONSPECTVS

TITVLVS II.

DE CONSTITVTIONIBVS.

TITVLVS III.

DE RESCRIPTIS.

TITVLVS IV.

DE CONSVETVDINE.

§. XLIV.

PARTIS SECVNDAE.

CONSPECTVS

§. CIX.

PARTIS SECVNDAE.

TITVLVS XXII.

DE CLERICIS PEREGRINIS.

TITVLVS XI.

DE TEMPORIBVS ORDINATIONVM ET QVALITATE ORDINANDORVM.

TITVLVS XII.

DE SCRVTINIO IN ORDINE FACIENDO.

TITVLVS XIII.

DE ORDINATIS AB EPISCOPO, QVI RENVNCIAVIT EPISCOPATVI.

§. CXLV.

PARTIS SECVNDAE.

CONSPECTVS

TITVLVS VIII.

DE AVCTORITATE ET VSV PALLII.

TITVLVS XV.

DE SACRA VNCTIONE.

TITVLVS XVI.

DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

§. CCII.

TITVLVS XXX.

DE OFFICIO LEGATI.

TI-

TITVLVS XXXI.

DE OFFICIO IVDICIS ORDINARII.

TITVLVS XXIII.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

TITVLVS XXIV.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

TITVLVS XXV.

DE OFFICIO PRIMICERII.

TI-

Pag.

TITVLVS XXVI.

DE OFFICIO SACRISTAE.

TITVLVS XXVII.

DE OFFICIO CVSTODIS.

TITVLVS XXVIII.

DE OFFICIO VICARII.

§. CCLXXX.

TITVLVS XIV.

DE AETATE ET QVALITATE ET ORDINE PRAEFICIENDORVM.

TITVLVS V.

DE POSTVLATIONE.

TITVLVS VI.

DE ELECTIONE ET ELECTI POTESTATE.

§. CCXCIX.

§. CCCXXIX.

TITVLVS IX.

DE RENVNCIATIONE.

TITVLVS X.

DE SVPPLENDA NEGLIGENTIA PRAELATORVM.

§. CCCLIII.

PARTIS SECVNDAE.

TITVLVS VII.

DE TRANSLATIONE EPISCOPORVM.

§. CDX.

TITVLVS XXXV.
DE PACTIS.

TITVLVS XL.
DE HIS, QVAE VI METVSVE CAVSA FIVNT.

TITVLVS XLI.
DE IN INTEGRVM RESTITVTIONE.

TITVLVS XLII.
DE ALIENATIONE IVDICII MVTANDI CAVSA.

§. CDLIX.

TITVLVS XXXVII.

DE POSTVLANDO.

TITVLVS XXXVIII.

DE PROCVRATORIBVS.

TITVLVS XXXIX.

DE SYNDICIS.

TITVLVS XXIX.

DE OFFICIO, ET POTESTATE IVDICIS DELEGATI.

Pag.

TITVLVS XXXII.

DE OFFICIO IVDICIS.

LIBER II.

TITVLVS I.

DE IVDICIIS.

TITVLVS II.

DE FORO COMPETENTE.

§. DIII.

TI-

Pag.

TITVLVS V.

DE LITIS CONTESTATIONE.

TITVLVS VI.

VT LITE NON CONTESTATA NON PROCEDATVR AD TESTIVM RECEPTIONEM, VEL AD SENTENTIAM DEFINITIVAM.

TI-

PARTIS SECVNDAE.

Pag.

TITVLVS XVI.

VT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETVR.

TITVLVS XVII.

DE SEQVESTRATIONE POSSESSIONVM, ET FRVCTVVM.

TITVLVS XXV.

DE EXCEPTIONIBVS.

TITVLVS XXVI.

DE PRAESCRIPTIONIBVS.

§. DCXXIII.

§. DCLI.

§. DCLXXXVIII.

PARTIS SECVNDAE.

§. DCCXXXVI.

§. DCCLXVIII.

TITVLVS XXVII.

DE SENTENTIA ET RE IVDICATA.

TITVLVS XXVIII.

DE ADPELLATIONIBVS, RECVSATIONIBVS ET RELATIONIBVS.

TITVLVS XXIX.

DE CLERICIS PEREGRINANTIBVS.

TITVLVS XXX.

DE CONFIRMATIONE VTILI, VEL INVTILI.

§. DCCCXVI.

§. DCCCXXXV.

LIBER I.
DECRETALIUM
GREGORII IX.

TITVLVS I.

DE

SVMMA TRINITATE

ET

FIDE CATHOLICA.

§. I.

Introitus.

Iuris ecclesiastici codicem ad exemplum, vt videtur, *Iustinianei* compositum non sine ratione ab ea parte inchoauit RAYMVNDVS de Pennaforti decretalium GREGORII IX. compilator, quae in *fidei* et *religionis catholicae* summa explicanda versatur: nimirum a tractatu *de summa Trinitate et fide catholica*, quae vniuersi iuris ecclesiastici est *fundamentum.*

§. II.

Mysterium Sanctissimae Trinitatis.

Dogma de sanctissimae Trinitatis mysterio, etsi quam saepissime ab haereticis variis arti-

bus acerrime impugnatum ſit, ſemper tamen ab eccleſia ſummo ſtudio adſertum, diuerſisque in conciliis ſtrenue defenſum, ſtabilitumque fuiſſe ex hiſtoriae eccleſiaſticae monumentis in conſpicuo poſitum eſt.

Vid. S. Avgvstin. *ap.* Gratian. *can.* 30. *diſt. III. de conſecr. can.* 39. 40. *diſt. V. ibid.* Explicatur quoque hoc myſterium in *cap.* 1. *§.* 1. 2. *h. t.* Idem magis confirmatur in *cap.* 2. *ibid.* ſimulque damnatur ſententia Ioachimi *abbatis florenſis* docentis: *vnitatem* naturae in tribus perſonis diuinis non eſſe *realem*, ſed *moralem*, ea ratione, qua multi fideles dicuntur vnam facere eccleſiam. In *cap. vn. h. t. in VI.* contra Graecos ſchismaticos definitur, *Spiritum ſanctum* aeternaliter a Patre ſimul et Filio procedere tanquam ab *vnico* principio. Denique *cap. vn. h. t. in clement.* nos docet, *Dei Filium* in eſſentia Dei aeternaliter ſubſiſtentem verum corpus humanum adſumpſiſſe. add. *conſtitut.* Pavli IV. *de an.* 1555. Cvm qvorvmdam. magn. Bvllar. rom. *tom. I. fol.* 821. *edit. Luxemburg.* 1727. Clementis VIII. *de an.* 1603. Dominici gregis. *ibid. tom. III. fol.* 160.

§. III.

Theologis explicandum relinquimus.

Vt autem data opera de profundiſſimo hoc ſanctiſſimoque religionis chriſtianae myſterio agamus, inſtituti noſtri ratio nobis non permittit: itaque fuſior eius explicatio iis, quibus ſanctior illa de rebus diuinis ſcientia curae eſt, relinquatur.

§. IV.

§. IV.

Fides.

FIDEI vocabulum non eandem ſemper ſignificationem habet. Hic duplex eius acceptio notanda eſt; *ſubiectiua*, quae illum *mentis noſtrae adſenſum* denotat, *quem nos auctoritati diuinae reuelationis praeſtare neceſſe eſt*, et *obiectiua*, quo ſenſu *complexum legum diuinarum ad credenda pertinentium* deſignat.

§. V.

Chriſtiana et catholica.

Leges iſtae diuina auctoritate ſtabilitae quandoquidem CHRISTVM agnoſcunt auctorem, fides inprimis *chriſtiana* dicenda eſt: quumque praeterea omne hominum genus obſtringant; adeoque *vniuerſales* ſint, non ſine ratione eadem etiam *catholica* adpellatur. Hoc eſt enim vere et proprie catholicum, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. VINCENTIVS *Lirinenſ. commonit. I.* 3.

De antiquitate et vſu vocis *catholicus* dignus eſt, qui conferatur IOS. BINGHAM*: orig. eccleſ. volum. I. lib. I. cap. I. §.* 7.

§. VI.

Sola ratione non cognoſcitur.

Sola fides complectitur *eſſentialia* religionis noſtrae capita, quae *ſola ratione* intelligi

non possunt; ita tamen comparata sunt, vt ad *omnes* omnino pertineant, (sup. §. 5.) itaque cogitandum est de medio, quo cuiuis, qui modo velit, fides haec quam facillime innotescere possit.

§. VII.

Inde symbolorum necessitas demonstratur.

Inde antiquissimi illius et nunquam interrupti symbolorum in ecclesia catholica vsus ratio sufficiens intelligitur. Est enim SYMBOLVM *compendiosa fidei catholicae obiectiue sumtae recensio. Quum non omnes possint scripturas legere, sed alios quidem imperitia, alios vero occupatio quaedam a cognitione impediat, ne anima per ignorationem intereat, paucis versiculis vniuersum fidei dogma concipimus.* S. CYRILLVS *cathec. V. num. vlt.*

De *Symbolorum* etymologia et varia significatione, et vsu antiquissimo vid. BINGHAM. *loc. cit. vol. IV. lib. X. cap. III. §. 1. seq.*

§. VIII.

I.) *Symbolum* APOSTOLORVM.

Recensebimus celebriora eiusmodi symbola. Omnium antiquissimum existimatur esse illud, quod ab apostolis nomen habet; dictum *apostolicum*, quod alias etiam *symbolum ecclesiae romanae* adpellatur. Eius formulae, qui apostolos auctores faciunt, varia patrum testimonia

nia adferunt; sed nullus eorum, si a RVFFINO in *praefat. exposit. symbol. ad Laur.* non idoneo satis auctore discesseris, id plane adseerit. *Symbola* esse *apostolicae institutionis* aiunt; ast *symbolum nicaenum* saepius *apostolicum* nominatur, quin vlli tamen vnquam in mentem venerit, statuere, istud totidem verbis ab apostolis conscriptum fuisse.

BINGHAM. *loc. cit.* NATAL. ALEXAND. *hist. eccles. saecul. I. dissert.* 12. *tom. III. cap. III.* §. 5. *seq.*

§. IX.

II.) NICAENVM.

Proximum huic auctoritate atque etiam antiquitate est *symbolum* NICAENVM, cuius haec erat occasio: ARIVS presbyter alexandrinus *verbum diuinum*, seu Dei Filium in tempore creatum, nec ex Dei Patris substantia natum nec Patri similem esse docebat. Tum CONSTANTINVS M. an. 325. ad doctrinam hanc discutiendam synodum NICAENAM oecumenicam indixit, in qua ARII dogma damnatum et Deum Filium Deo Patri *consubstantialem* esse definitum est, simulque Arii sectatores symbolo ab huius concilii patribus composito *can.* 1. *pr. dist. XV.* adsentiri cogebantur. Dein contra MACEDONIVM episcopum antea constantinopolitanum blasphemantem, Deum Spiritum sanctum non Deum, sed creaturam esse, a THEODOSIO M. an. 381. coactum est concilium *constantinopolitanum I.*, ibique non solum diuinitas Spiritus sancti apertius fuit definita, sed etiam symbo-

bolum nicaenum confirmatum, auctum et completum fuit *can.* 1. *§.* 3. *cit.* Atque hoc est ſymbolum illud in duobus primis conciliis vniuerſalibus editum, quod a latinis aeque ac graecis in miſſa recitatur.

Vtrumque extat *ap.* HARDVIN. *tom.* *I.* *col.* 311. *et* 813. *tom.* *II.* *col.* 454. add. NATAL. ALEXAND. *col. cit. ſaecul.* *IV.* *diſſert.* *XXXVII.* *tom.* *IV.*

§. X.

III.) S. ATHANASII.

Iam ad illud veniamus, quod vulgo *ſymbolum* S. ATHANASII vocatur, et per modum pſalmi, qui incipit: *Quicunque vult eſſe ſaluus* etc. diebus dominicis in officiis eccleſiaſticis ſub prima recitari ſolet, de quo tametſi fatendum ſit, ita eſſe id compoſitum, vt nullum omnium luculentius *Trinitatis* et *incarnationis* myſteria exponat, adeoque merito *quaſi regula fidei habeatur.* S. THOMAS 2. 2. *q.* *I.* *art.* 10. Athanaſio tamen id haud contemnendis ex rationibus abiudicant eruditi. Ipſe enim 1.) vir hic ſanctus in *epiſt. ad Antiochen.* negat, ſibi veniſſe in mentem ſymbolum ſcribere, vt qui contentus eſſet nicaeno. 2.) Impugnantur in eo haereſes Neſtorii, Eutychetis, et Monothelitarum, quos, vtpote Athanaſio poſteriores ignorare is debuit. 3.) In eo nulla fit *conſubſtantialis* mentio, ſingularis chriſtianorum teſſerae, et pro qua tanta pertulit Athanaſius.

Sunt qui huius ſymboli auctores fuiſſe contendunt VIGILIVM TAPSENSEM, alii VINCENTIVM LIRINEN-

NENSEM, alii VENANTIVM FORTVNATVM, quod probabile videtur LVD. ANT. MVRATORIO in *disquisitione de symboli* QVICVNQVE *auctore in anecdot. tom. II. pag.* 217. *seqq.* cf. NATAL. ALEXAND. *loc. cit. secul. IV. cap. VI. artic.* 8. *tom. IV.*

§. XI.

IV.) *Decretum* EVGENII IV.

His addi proximo loco debet *decretum* EVGENII IV. *pro instructione Armenorum;* sub hoc quippe pontifice habitum est concilium *florentinum* an. 1438. inprimis graecorum cum latinis conciliandorum causa. Post graecorum reconciliationem et discessum, et solutum iam concilium Armenorum patriarchae legatis vnionem petentibus data est EVGENII decreto instructio ad populares suos transferenda, qua praesertim doctrina ecclesiae catholicae de Sacramentis explicatur.

Extat *ap.* HARDVIN. *tom. IX. col.* 434.

§. XII.

V.) TRIDENTINVM.

Nouissimum vsuque fidelium atque obseruantia celeberrimum est id, quod a PIO IV. ad mentem *concilii tridentini* est praescriptum, cuius formula est eadem cum nicaeno et constantinopolitano (sup. §. 9.) nisi quod canones, contra recentiorum sectarum errores in *nouissima synodo conditi sint adiecti.* Extat in *constitut.* PII IV. IN SACROSANCTA. *et* INIVNCTVM,

CTVM, BVLLAR. ROM. *tom. II. fol.* 136. 138. re ferturque *cap. 4. h. t. in VII.* Iamque adeo eſt receptum, vt ab omnibus, quorum publicam et ſolennem fidei confeſſionem exigit eccleſia, adhiberi debeat, exceptis graecis cum latina eccleſia vnitis, quibus ſpecialem formulam tradidit GREGORIVS XIII. in *conſtitut.* EGO. BVLLAR. ROM. *tom. II. fol.* 429.

Atque haec de ſymbolis catholicorum dicenda fuerant, quae etſi plura ſint, nullam tamen doctrinae varietatem inducunt. *In omnibus ſymbolis eadem docetur fidei veritas*, inquit S. THOMAS 2. 2. *q. I. art.* 9. *Sed ibi oportet populum diligentius inſtrui de fidei veritate, vbi errores inſurgunt, ne fides ſimplicium per haereticos corrumpatur. Et haec fuit cauſa, quare neceſſe fuit edere plura ſymbola, quae in nullo differunt, niſi quod in vno plenius explicantur, quae in alio continentur implicite, ſecundum quod exigebat haereticorum inſtantia.* add. CONCIL. FLORENTIN. *collat. X. ap.* HARDVIN. *tom. IX. col.* 791.

§. XIII.

Libri ſymbolici.

Caue autem, ne cum ſymbolis confundas *libros ſymbolicos*, in quibus ſymbolorum breuis confeſſio luculentius explicatur atque etiam demonſtratur: qui prout *publica* eccleſiae aut *priuata* auctoritate editi ſunt, in *publicos* et *priuatos* recte diuiduntur.

PVBLICI ſunt 1.) *Acta conciliorum.* 2.) *Catechiſmus romanus* ex decreto concilii tridentini componi iuſſus, editus demum iuſſu PII V. liber ſolide atque eleganter ſcriptus, ac proinde ſuo merito omnibus animarum paſtoribus commendandus 3.) Cate-

chiſmi dioeceſani nomine *Inſtructionum paſtoralium* cogniti. PRIVATI ſunt catechiſmi priuatorum ſtudio elaborati, quorum tanta eſt multitudo, tanta varietas, quanta noceat magis, an proſit, merito ambigas. Commendatiores ſunt 1.) Catechiſmus PETRI CANISII iuſſu FERDINANDI I. editus. 2.) CLAVDII FLEVRII, qui docendi methodo et facilitate pietateque reliquis omnibus facile palmam praeripiunt.

§. XIV.

Publica et ſolennis fidei profeſſio.

Equidem *publica fidei profeſſio*, cum eam aut diuinae gloriae illuſtratio, aut propria cuiusque vel aliorum ſalus exigit, ex ipſo *diuino iure*, tam *naturali* quam *poſitiuo* MATTH. *X*. 32. MARC. *VIII*. 38. LVC. *IX*. 26. fluit. Cum porro ad ſalutem eccleſiae magnopere ſaepius interſit, eam de quorumdam fide ſpeciatim certam eſſe · id autem humano modo alia fieri ratione nequeat, quam publica et ſolenni profeſſione: ratio ſufficiens in promptu eſt, cur *iure* quoque *humano* fidem catholicam publice profiteri nonnulli obſtringantur.

§. XV.

Iure humano variis perſonis.

Et quidem 1.) *baptizandi*, ſi adulti ſint ipſi. *can*. 58. 59. *diſt*. *IV*. *de conſecr*. 2.) *Haeretici* eccleſiae catholicae dogmata amplexuri. *cap*. 9. *de haeret*. 3.) *Sacris ordinibus initiandi*. *can*. 6. *diſt*. *XXIII*. 4.) *Prouiſi* de *canonicatu*

catu vel *dignitate* in *ecclesia cathedrali* non solum coram episcopo seu eius officiali, sed etiam in capitulo. CONCIL. TRID. *sess. XXIV. cap.* 12. *de ref.* 5.) Prouisi de *beneficio curato* coram episcopo vel vicario eius generali. CONCIL. TRID. *ibid.* 6.) *Praelati* ordinum regularium etiam militarium. PIVS IV. *constitut.* INIVNCTVM (sup. §. 12.) 7.) *Promouendi* in academiis ad gradus literarios vel ad licentiam docendi. PIVS IV. *constitut.* in SACROSANCTA (sup. §. 12.) 8.) *Doctores et magistri publici* cuiuscunque disciplinae. CONCIL. TRID. *sess. XXV. cap.* 2. *de ref.*

CONCIL. TRID. *sess. XXIV. cap.* 12. *cit.* constitutionem ad prouisos de canonicatu aut dignitate in ecclesiis *collegiatis* non extendendam esse docet BENEDICT. XIV. *Institut. iur. eccles. cap.* 70. §. 1.

§. XVI.

Et beneficiatis quidem sub poena amissionis fructuum est praecepta.

Ne forte saluberrima CONCILII TRIDENTINI decreta *beneficiati* facile infringere praesumant, cautum est, vt neglecta per duos menses a die adeptae possessionis hac professione *fructus deinceps non faciant suos, nec illis possessio triennalis*, secundum *regulam cancellariae XXXVI. de triennali possessore, suffragetur. sess. XXIV. cap.* 12. *de ref.* Igitur fructus postea perceptos, quos non impleta conditione suos facere nequeunt adeoque *alienos*, ante omnem iudicis sententiam restituere tenentur, exem-

exemplo illorum, qui violatis residentiae legibus *alia etiam declaratione non secuta* fructus pro rata temporis absentiae aut fabricae ecclesiae aut pauperibus erogare iubentur. *sess. XXIII. cap.* 1. *de ref.*

An autem *distributionibus* quoque *quotidianis* priuandi sint, quaeritur. Negat BENEDICT. XIV. *Institut. eccles. institut. LX.* et si de distributionibus *proprie talibus* sermo sit, recte omnino, cum TRIDENT. *loc. cit.* non beneficia, sed beneficiorum fructus negligentibus ademerit. Ast eo casu, quo omnes beneficii reditus in distributionibus quotidianis consistunt, tum enimuero, vt sanctio concilii effectum sortiatur, dicamus necesse est, fructuum adpellatione etiam distributiones istas *improprie* tales comprehendi. BARBOSA *Iur. eccles. lib. I. cap. XXI.* §. 74.

§. XVII.

Speciatim ad eam tenentur episcopi et papa.

Porro eadem obligatione 9) *promoti ad episcopatum* obstringuntur, *can.* 2. *dist. XXIII. can.* 4. *dist. C.* vt in prima ab electione synodo prouinciali fidei suae professionem emittant. CONCIL. TRIDENT. *sess. XXIV. cap.* 12. *sess. XXV. cap.* 2. *de ref.* Et 10.) *quanto* ROMANVS PONTIFEX *eminentiori inter mortales fungitur potestate, tanto clarioribus ipsum decet fulciri fidei vinculis, et ecclesiasticorum sacramentorum obseruandis ritibus adligari. Ea propter, vt in futurum romani pontificis in suae creationis primordiis singulari splendore luceat plena fides, statuimus, et ordinamus, quod deinceps quilibet in romanum pontificem eligendus, antequam*

sua

ſua electio publicetur, coram ſuis electoribus publice confeſſionem et profeſſionem faciat. CONCIL. CONSTANT. *ſeſſ. XXXIX. ap.* HARDVIN. *tom. VIII. col.* 839.

Cum autem ſynodi prouinciales celebrari hodie non ſoleant, epiſcopi officium ſuum implent in manibus nuntii apoſtolici vel cuiusdam epiſcopi: profeſſio autem hac ratione edita ſcripto exarata Romam mittitur, inſerta inſtrumento de facta inquiſitione ſuper qualitatibus electi. P. ZECH. *Praecogn. iur. can. tit. VI. §.* 64. Antiquiores fidei profeſſiones, quas *indicula* adpellabant, a pontificibus editae extant in LIBRO DIVRNO *romanorum pontificum cap. II. tit.* 9., quem edidit, notisque eruditiſſimis illuſtrauit IOAN. GARNERIVS, noſtra cura hic recuſus 1762. ceterum nihil obſtat, quo minus profeſſio fidei etiam per procuratorem ſpecialiad id mandato inſtructum fieri poſſit.

§. XVIII.

Symbola acatholicorum.

Cum praeter religionem *catholicam*, quae in *Germania* noſtra antiquiſſima poſſeſſione nititur, et ideo in legibus noſtris publicis paſſim antiqua adpellatur, religio *proteſtantium*, et qui inter illos *reformatorum* nomine veniunt, eodem iure ciuitatis gaudeant: INST. PAC. OSNABR. *artic. v. §.* 1. praeter has autem nulla alia in imperio romano recipi vel *tolerari* debeat: *ibid. art. VII. §.* 2. in conſpicuo poſita eſt ratio, ob quam de illorum quoque ſymbolis et libris ſymbolicis hoc loco agamus.

§. XIX.

§. XIX.

I.) *Proteſtantium.*

In eccleſia *proteſtantium ſymbolica* pollent *auctoritate*. 1.) *Vterque catechiſmus Lutheri*, qui libelli priuata quidem ab eo opera compoſiti ſunt, ſed ex quo concordiae formula prodiit, publicam adprobationem acceperunt. 2.) Solennis illa an. 1530. Auguſtae Vindelicorum Imp. CAROLO V. exhibita *confeſſio*, ea de cauſa *auguſtana* dicta. 3.) Confeſſionis huius *apologia* an. 1531. opera praecipue *Melanchtonis* compoſita. 4.) *Articuli ſchmalkaldici* ab ipſo *Luthero* an. 1537. maximam partem conſcripti; denique. 5.) *Concordiae formula* an. 1580. edita, foecunda diſcordiarum mater.

Hiſtoriam horum librorum edidit IOAN. GEORG. WALCH. *tractat. de libr. ſymbol.*

§. XX.

II.) *Reformatorum* 1.) *communia.*

Reformatorum libri ſymbolici et quidem *communes* ſunt. 1.) *Confeſſio belgica*, quae ob ſynodi dordracenae adprobationem praecipuam auctoritatem obtinuit. 2.) *Catechiſmus palatinus* ſeu *heidelbergenſis* a *Zach. Vrſino* an. 1563. editus et in ſynodo dordracena confirmatus. 3.) Decreta et *canones* ſynodi *dordracenae* an. 1618. celebrari coeptae et poſt ſeſſiones 154. an. 1619. terminatae.

Vid.

Vid. HALERII *histor. concil. dordrac. cum annotat. Moshemii Hamburg. an.* 1728.

§. XXI.

2.) *Specialia.*

Speciales, qui in nonnullis tantum eorum ecclesiis auctoritatem habent, feruntur. 1.) *Confessio tetrapolitana*, id est, quatuor vrbium *Argentorati, Memmingae, Lindavii et Constantiae* an. 1530. in comitiis augustanis imperatori oblata; verum ab eo non acceptata. 2.) *Confessio gallicana*, quae an. 1559. prodiit. 3.) *Confessio heluetica* de an. 1566. 4.) *Confessio belgica* in synodo dordracena adprobata et an. 1571. publicata. 5.) *Confessiones brandeburgicae*, quae *Berolini* an. 1615., *francofurti* an. 1666., et *Coloniae Brandeb.* an. 1695. prodierunt. 6.) *Formula consensus heluetica* de an. 1675. 7.) Demum *symbola ecclesiae anglicanae*, cuius generis sunt *articuli londinenses* an. 1562. sanciti et an. 1571. reuisi: *liber* item *homiliarum* et *liturgia anglicana* etc. etc.

TI-

TITVLVS II.

DE

CONSTITVTIONIBVS.

TITVLVS III.

DE

RESCRIPTIS.

TITVLVS IV.

DE

CONSVETVDINE.

§. XXII.

Ius ecclesiasticum definitur, et ratio ordinis traditur.

Praestructo fundamento (§. 1.) ad ipsum IVS CANONICVM explicandum fit transitus, quod cum in *complexu legum, queis obligationes et iura illorum, qui ecclesiae christianae membra sunt, consistat*, (P. I. §. 155.) legum autem istarum theoriam generalem penitius nosse plurimum intersit, ad rectam earum adplicationem in casibus singulis faciendam, adposite sane GREGORIVS IX. *prolegomena*

quaedam de *natura* et *varietate legum* ecclesiasticarum ad exemplum *institutionum* et *digestorum* IVSTINIANI praemitti voluit.

§. XXIII.

Leges ecclesiasticae in diuinas.

LEGES seu CONSTITVTIONES ECCLESIASTICAE, quae et CANONVM nomine veniunt, *Can.* I. 2. *dist. III.* sunt *regulae actionum, quae respiciunt homines, quatenus in ecclesia christiana existunt.* Earum species sunt variae. I.) DIVINAE tum 1.) *naturales*, (P. I. §. 9. §. 49.) tum 2. *positiuae*, (P. I. §. 25.) eaeque et a.) *veteris*, quod ad *credenda* adtinet, (P. I. §. 161.) et b.) *noui testamenti*, quas CHRISTVS, supremus ecclesiae legislator (P. I. §. 49.) partim *scriptas*, (P. I. §. 52.) partim *non scriptas* seu *traditas* (P. I. §. 53.) nobis reliquit. Omnes autem istae leges sunt *dogmaticae* et *essentiales*, adeoque *immutabiles*: (P. I. §. 33.) porro *vniuersales*, (P. I. §. 67.) atque ita comparatae, vt saluti ciuitatum non repugnent, sed eam confirment etiam. (P. I. §. 19.) Ad hasce demum *leges interpretandas* et *contestandas* tota, quanta est, ecclesiae catholicae *infallibilitas* restringitur. (P. I. §. 75. seq.)

Harum

Harum legum principia explicauimus in P. I. ſect. II. cap 2. 3. 4.

§. XXIV.

Et humanas diuiduntur.

Sequuntur leges eccleſiaſticae II.) Hvmanae, ab iis conſtitutae, queis Chriſtus poſt ſuum ad coelos adſcenſum eccleſiae curam et regimen commiſit. Eiusmodi ſunt 1.) *leges apoſtolicae* (P. I. §. 82. ſeq.): tum 2.) *ſynodales* (P. I. §. 103.): dein 3.) *pontificiae* (ibid. §. 105.); item 4.) *epiſcopales* (P. I. §. 84. ſeq.), ac demum 5.) *ciuiles*, quae a poteſtate principum ſecularium, quae ipſis circa religionis et eccleſiae negotia competit, promanant. (P. I. §. 19.) Harum legum omnium ea eſt conditio, vt ſint *diſciplinares* et *accidentales*, (P. I. §. 57.) adeoque pro temporum et locorum circumſtantiis *mutabiles*, (P. I. §. 81.) et modo *vniuerſales*, modo *particulares*: vt iuribus maieſtaticis nihil detrahant, (P. I. §. 109.) eoque tendant omnes, vt ſint *media apta*, queis ad perfectam legum eccleſiaſticarum diuinarumque (ſup. §. 23.) cuſtodiam, ad virtutem chriſtianam, ad aeternam felicitatem peruenitur (P. I. §. 111.)

Harum legum omnium principia itidem expoſuimus in P. I. Sect. II. cap. 5. 7. 9.

§. XXV.

Harum proprietates recensentur.

Sint ergo *honestae, iustae, possibiles, secundum naturam, secundum patriae consuetudinem, loco temporique conuenientes, necessariae, vtiles, manifestae quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineant, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscriptae. Can. 2. dist. IV.*

§. XXVI.

Leges eccles. vniuersales ferunt concilia et pontifex.

Ex quibus satis intelligitur, quinam potestate legislatoria in ecclesia gaudeant. Cum enim summa potestas sacra ipsi ecclesiae a Christo sit concessa (P. I. §. 73.), quam concilia vniuersalia repraesentant (P. I. §. 103.): et inter episcopos omnes principatum romanus episcopus obtineat, (ibid. §. 105.) cui vniuersae ecclesiae cura, et vnitatis custodia est commissa, dubitari non potest, quin 1.) LEGES ECCLESIASTICAS VNIVERSALES condere possint 1.) *concilia oecumenica*, nunc declarando *dogmata* et stabiliendo: (P. I. §. 75. seq.) nunc etiam *vniuersam disciplinam* sanciendo. (ibid. §. 81.) *Can.* 1. 2. *dist. XV. cap.* 11. *de renunt.* 2.) *Pontifex romanus*, cuius edicta plenissimum habere robur incipiunt, si in *dogmaticis expressus* vel *tacitus* ecclesiae consen-

ſenſus: in *diſciplinaribus epiſcoporum*, tanquam conrectorum vniuerſae eccleſiae, *receptio*, (P. I. §. 101. 102.). ac debita *promulgatio*. (§. 285. *ibid.*) acceſſerit.

§. XXVII.

Cuius poteſtatem non abſolutam eſſe.

Habeat ſedes apoſtolica curam eccleſiarum omnium et tutelam: *cap.* 1. *de immunit. eccleſ. in VI.* eccleſiae totius principatum: *can.* 6. *diſt. I. de conſec.* ſupremam in eccleſia obtineat poteſtatem: CONCIL. TRID. *ſeſſ. XIV. cap.* 7. *de poenit.* imo eccleſiaſticae poteſtatis plenitudinem. *cap.* 4. *de auct. et vſ. pall.* toto orbe venerabilem: *can.* 14. *IX. q. III.* quae non humanae, ſed diuinae potius conſtitutioni innititur. *cap.* 13. *de Iud.* ſit omnium eccleſiarum caput: *can.* 7. *ſſ.* 9. *II. q. I.* et magiſtra can. 6. diſt. XXI. cunctis in orbe terrarum praeferenda eccleſiis can. 1. diſt. XXIII. maneat Petri priuilegium, vbicunque ex ipſius fertur aequitate iudicium. *can.* 5. *XXIV. q. I.* Nos enim B. PETRI memoriam lubentiſſime honoramus, et maxima cum voluptate antiquae deuotionis et reuerentiae erga primam ſedem monumenta relegimus. *Can.* 3. *diſt. XXI. Can.* 10. *diſt. LXIII. Can.* 17. *XVI. q. III. Can.* 13. *VII. q. I.* CONCIL. TRID. *ſeſſ. XIV. cap.* 3. *de extrem. vnct. ſeſſ. XXIV. cap.* 1. *in fin. de reform.*

§. XXVIII.

Et illimitatam.

Id vero nimium eſt, ac intolerabile, *illimitatam* ac *infallibilem auctoritatem* SOLI pontifici tribuere; epiſcopos reliquos ab illius nutu ſuſpendere, et, quod diuinis ordinationibus et praxi eccleſiae, ſanctorum patrum doctrinae manifeſto repugnat, abſolutum quemdam dominatum, ad formam monarchicae reipublicae compoſitum, in eccleſiam Chriſti inducere.

§. XXIX.

Euincitur.

Quid ergo eſt, quod limites pontificiae poteſtati poſiti (ſup. §. 25.) tantopere plurimis diſpliceant, qui tamen ignorare non poſſunt, epiſcopis ſubtrahi, quod romano pontifici plus, quam ratio exigit, praebetur: *can.* 5. *diſt. XCIX.* palamque eſſe, quod in re dubia ad fidem valeat auctoritas eccleſiae catholicae, quae ab ipſis fundatiſſimis ſedibus apoſtolorum vsque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet epiſcoporum ſerie, et tot populorum conſenſione firmatur. *can. 9. diſt. XI.* Porro contra ſtatuta patrum concedere aliquid vel mutare, ne apoſtolicae quidem ſedis auctoritatem poſſe. *can.* 7. *XXV. q. I.* Dein Petrum, quando claves accepit, eccleſiam ſanctam ſignificaſſe. *can.* 6. *XXIV. q. I.*

I. ceteros vero Apoſtolos cum eodem pari conſortio honorem et poteſtatem accepiſſe; *can.* 2. *diſt. XXII.* Epiſcopos autem omnes apoſtolorum ſucceſſores eſſe can. 24. diſt. XCIII. Quare elogia, queis omnis ætas cathedram Petri recte exornauit, *primatum* quidem et ſingularem inter omnes epiſcopos ſeorſim ſumtos praeeminentiam non autem *monarchiam*, et in omnes eccleſias *coniunctim* ſpectatas ſuperioritatem demonſtrant.

§. XXX.

Leges eccleſ. particulares ferunt concilia et epiſcopi.

Quum porro ordinis et decori ratio exegiſſet, vt ampliſſimum eccleſiae corpus in partes diuideretur, quarum ſingulae propriis ſuis paſtoribus, a Spiritu ſancto poſitis ſubeſſent, ſequitur, vt II.) Leges Ecclesiasticas Particvlares ferre poſſint. 1.) *ſynodi particulares, can.* 8. *diſt. XI. can. vlt. diſt. XVIII.* 2.) *patriarchae, primates, archiepiſcopi,* et *epiſcopi cap.* 2. *de mai. et ob. cap.* 2. *de conſtit. in VI.* Ceterum pro ſua tantum eccleſia ſinguli. *can.* 4. *IX. q. III.* Et quoniam ſynodis aeque ac epiſcopis haec poteſtas immediate a Deo conceſſa eſt, patet, cur confirmationem canonum, quos condunt, pontificiam non neceſſitatis, ſed voluntatis eſſe adſeramus, licet contrarium cardinales, concilii tridentini interpretes, declarauerint.

Eos ſcilicet vim apertam verbis tridentinae ſynodi *ſeſſ. XXIV. cap. 2. de reform.* intuliſſe recte pronunciauit PETRVS DE MARCA *de Conc. S. et I. lib. VI. cap.* 4. add. VAN ESPEN *P. I. tit. XX. cap. IV. et V.*

§. XXXI.

Aliique, qui recenſentur.

His acceſſere 3.) *cardinales*, quod eccleſias ſuorum titulorum adtinet, *cap.* 11. *de mai. et ob.* in quibus eis iurisdictio quaſi epiſcopalis tribuitur, quam ob rem 4.) *praelati exempti* quoque huc pertinent reſpectu proprii, vt aiunt, territorii et populi, in quem exercent iurisdictionem quaſi epiſcopalem. Denique 5.) *capitulum cathedrale*, *ſede epiſcopali vacante*, eo quod in iurisdictionem epiſcopi ordinariam ſuccedat. *cap.* 11. 14. *de mai. et ob. cap. vn. eod. in VI.*

§. XXXII.

Obiectum legum eccleſiaſticarum ſunt actus mere interni.

MATERIA, ſeu OBIECTVM *legum eccleſiaſticarum* ex fine eccleſiae determinatur. Hinc quaecunque actiones fidelium cum hoc fine ſunt connexae, eas ab eccleſiaſtica poteſtate praecipi aut prohiberi poſſe conſtat; ſed certae quaedam actiones, etiam *mere internae*, euidentem non raro et neceſſarium cum fine eccle-

clesiae nexum habere possunt; itaque istud quoque actionum genus potestati ecclesiasticae obnoxium esse recte adfirmatur. Haec enim *potestas ligandi et soluendi* Matth. XVI. 19. frustra ad actus externos restringitur; nam et in his praecipuam haberi rationem ad id, quod internum est, religionis et ecclesiae notio demonstrat.

Positionem hanc fusius pertractatam inuenies ap. Placid. Boeckn. *ad tit. de constitut. art. IV. num.* 58. *seq.*

§. XXXIII.

Non autem actiones ciuiles.

Econtra ex eodem fundamento consequitur, actiones fidelium illas, quae per notionem ecclesiae catholicae, eiusque finem non determinantur, quaeque ipsis cum quibuscumque hominibus sunt communes, legibus ecclesiasticis non subiacere. Quid enim religionis interest, qua ratione, vt exemplis vtar, testamenta et contractus fiant, quae sint praescriptionum regulae, quae iudiciorum forma? Talia quidem determinari conuenit; sed proprium hoc est maiestatis ciuilis officium, cuius decreta in hisce rebus qui peccata inducere, atque adeo ab ecclesia corrigenda esse autumant, ii iura ciuitatis addiscant prius, quam ea corrigant.

§. XXXIV.

Idem.

Quid ergo dicendum eſt ad tot canones et pontificum conſtitutiones, quas actionibus fidelium ciuilibus, et intuitu eccleſiae indifferentibus, propoſitas fuiſſe deprehendimus? Ne quid durius ſentiamus, obſeruandum eſt, eiusmodi conſtitutiones eccleſiaſticas aut leges ciuiles ſolum confirmaſſe, aut iure a principibus conceſſo et delegato ab eccleſiaſticis conditas, aut ſaltim libere poſtmodum ab illis receptas fuiſſe, totam vero auctoritatem earum ab arbitrio principum continuo dependere.

Inde intelligitur, quo fundamento capitulis decretalium, et pontificum conſtitutionibus actiones ſubditorum ciuiles in praxi adplicemus.

§. XXXV.

Lex concepta promulganda eſt.

Iam omnis legum vis in *obligandi poteſtate* ſita eſt. Quum vero per naturam mentis humanae fieri nequeat, *vt voluntas ſuperioris* non *rite cognita* agendi, aut omittendi *motiuum* cuiquam exiſtat, perſpicuum eſt, niſi *ſatis promulgatam*, legem non eſſe.

Eleganter VALENTIN. et MARCIAN. IMP. in l. 9. C. de legib. *Leges*, inquiunt, *ſacratiſſimae, quae conſtringunt hominum vitas; intelligi ab omnibus debent, vt vniuerſi praeſcripto earum manifeſtius cognito, vel inhibita declinent, vel permiſſa ſectentur.*

§. XXXVI.

§. XXXVI.

Publicatio legis Romae facta non sufficit.

Actus, qui promulgationis vicem obtinet, *rationem* sufficientem complectatur necesse est cognoscendae voluntatis animos hominum obligaturae, quam in solenni illa decretorum publicatione ROMAE fieri solita non contineri ex ipso systemate ecclesiae perspicue adparet, cui nouissima illa curiae romanae praxis repugnat. Vt enim nihil dicam de placeto regio ad promulgationem legis ecclesiasticae necessario, quodque hac ratione eluditur, episcoporum certe consensus in eam accedat, oportet, quos per rumores et nuntios certiores fieri de lege Romae promulgata prorsus absurdum est.

VAN ESPEN *in tract. de promulg. leg. eccles. cap.* 2.

§. XXXVII.

Lege rite promulgata.

Enimuero lex ecclesiastica, vt primum rite promulgata est, continuo obligat *fideles*, seu qui per baptismum ecclesiam christianam ingressi eidem subiiciuntur, modo sint *infantia maiores*, et *vsu* rationis haud destituantur.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Obſtringuntur omnes.

Quare legibus eccleſiaſticis obſtringuntur 1.) *et clerici* et *laici*, etiam *principes*, 2.) *haeretici* quoque, licet in germania ob ſuſpenſam iurisdictionem eccleſiaſticam executioni contra proteſtantes non ſit locus. Aliud eſt 3.) de *infidelibus*, qui tamen iuri euangelico vniuerſali ſubiiciuntur.

§. XXXIX.

Etiam pontifex et epiſcopi.

Imo ex eadem vniuerſali obligatione legum eccleſiaſticarum manifeſto ſequitur, pontificem romanum et epiſcopos legibus eccleſ. vniuerſalibus obligari; quippe quas a tota eccleſia, non ab vno alteroue conſtitui intelleximus. Aliud de legibus eorum particularibus dicendum foret, quibus non niſi ſub ea ratione, vt bonum ſemper exemplum fidelibus praebeant, obſtringuntur.

§. XL.

Lex eccleſ. particularis tenet proprios ſuos ſubditos.

Quod ad leges eccleſiaſticas particulares adtinet, his obligantur 1.) *eccleſiarum earum*

rum particularium fideles siue *clerici* siue *laici.* 2.) non tantum illi, qui perpetuum ibi domicilium habent, sed et qui ad tempus intra dioecesim commorantur, *peregrini* et vagabundi praecipue illis legibus, quae citra scandalum aut perturbationem boni publici negligi non possunt. 3.) *Exempti* vero alias a iurisdictione episcopali obligantur in materiis omnibus non exemptis, et illis insuper casibus, quibus ex speciali vel sedis apostolicae vel concilii tridentini decreto episcopi subiiciuntur. sess. XXV. *cap.* 12. 13. *de regular.*

§. XLI.

Lex omnis in conscientia, vt aiunt, obligat.

Quumque subditus dolo, vel culpa aduersus legem a superiore legitimo perlatam agit, *laedit ius eius summum ac perfectum.* Atqui hoc natura iniustum est. Recte igitur sentiunt, qui legi cuique humanae vim obligandi in *conscientia* vindicant.

Epist. ad ROMAN. *cap. V.* 2. 5. *et cap. XIII.* 1. 2. 5. item I. PETRI *cap. II. v.* 13.

§. XLII.

Reiectis legibus pure poenalibus.

Quid autem sit in obligatione cuiusque legis, subtilis est interpretum disputatio. Perspicue lex *praecipiens ad actum ponendum:* *pro-*

prohibens ad eundem *omittendum* obligat. Sed de poenali litigant. Quam schola *mere poenalem* vocat, figmentum est subruendis legibus aptum. *Mixtarum* autem, quas illi adpellant, non satis ex arte diuersam faciunt speciem. Nullam enim esse legem prohibentem, satis certum est, quae non et prohibeat actum, et plectat temerarios violatores.

§. XLIII.

Nam et irritantes sunt regulariter prohibentes.

Siue autem leges irritent actum honestati, et iustitiae naturali repugnantem, aut lege expresse prohibitum, siue declarent actum ipso iure nullum ex defectu formae a legibus praescriptae, semper obligant ad omissionem actus, et in conscientia quidem, excepto casu, si lex simpliciter irritet actum nec tacitam prohibitionem adnexam habeat, id quod ex verbis et ratione legis desumendum est.

§. XLIV.

Et viciſſim.

Generatim legis, quae actum prohibet, ea vis est, vt quidquid seu *contra canones*, seu *in fraudem* eorum gestum est, *pro infecto* habeatur: licet legislator fieri *prohibuerit tantum*, nec *specialiter* dixerit, *inutile esse debere*, quod

factum

factum est, quam quidem vim canones non in *foro* tantum, quod aiunt, *externo*, seu *fori*, sed et *in interno*, seu *poli* sola prohibitione nanciscuntur.

L. 5. cod. de leg. cap. 64. de reg. iur. in VI.

§. XLV.

De lege in praesumtione fundata.

Leges in praesumtione fundatas ita passim distinguunt, vt lex in praesumtione facti ac periculi particularis fundata non obliget, cessante facto ac periculo particulari obligare tamen non desinat ea, quae est in praesumtione iuris ac periculi vniuersalis fundata, licet in casu particulari cesset praesumtio ac periculum: verum quum leges omnes praesumtioni generali et periculo vniuersali innitantur, eoquod legum omnium ratio vltima sit salus reipublicae, quae lege non posita periclitaretur, quumque hactenus nemo distincte satis explicuerit, quando legem in praesumtione periculi vniuersalis, aut particularis fundatam esse dicendum sit, non erit opere pretium, his diutius immorari. Exempla enim omnia, quae hanc in rem adferre solent, ex decantatis alias regulis resolui possunt, scilicet, quod praesumtio iuris et de iure non admittat probationem in contrarium, bene tamen illa, quae iuris tantum est.

§. XCVI.

Leges cessant variis modis.

Cessat lex ecclesiastica aut vniuersaliter et respectu omnium, aut particulariter, et habita certae personae, certiue status hominum ratione. Vniuersaliter cessat legis ecclesiasticae obligatio. 1.) Quum legislatae ratio, vt aiunt, finalis et adaequata cessat, quum cessante causa cesset effectus. *cap. 60 de adpel.* 2.) Euenit id etiam mutatione legis, haec autem fit vel per abrogationem, vel per derogationem, idque vel per simplicem reuocationem legislatoris, vel per legem aut consuetudinem oppositam.

§. XLVII.

Speciatim dispensatione.

Particularis cessatio legis ecclesiasticae contingit *dispensatione*, quae est relaxatio legis publica auctoritate facta pro aliquo particulari casu vel persona, manente interim aliorum obligatione.

§. XLVIII.

Quae aliquando est necessaria.

Quemadmodum prudens rerum dispensator res curae suae commissas ita administrare debet, prouti praesentis temporis circumstantiae

tiae id suadent, ne detrimentum res familiaris capiat, ita prouidum legislatorem pro re nata ita in legibus versari oportet, vt ne neglecta publica, et communi vtilitate intempestiue legis sequatur rigorem, sed eundem ratione habita temporis, loci, aliarumque circumstantiarum beneficia relaxatione emollire adlaboret.

Vid. LEONEM I. P. ap. GRATIAN. *dist. XIV. can.* 2.

§. XLIX.

Ea praesertim, quae casus praeteritos respicit.

Dispensatio respicit vel praeteritum, vel futurum actum a vinculo canonis liberandum. Vbi probe obseruandum, illum esse antiquioris, hunc vero recentioris disciplinae, adeo vt apud veteres nunquam vel raro daretur venia canonis infringendi, sed infracti et violati poena ob grauissimas causas aliquando remitteretur.

Vid. THOMASSIN. *de vet. et nou. eccl. discip. p. II. lib. III. cap.* 24 §. 20. PETR. DE MARCA *de C. S. et I. lib. III. cap.* 13.

§. L.

Dispensare potest legislator.

Tollere quocunque modo obligationem nemo potest, nisi is, a cuius arbitrio pendet eiusdem existentia tam in origine, quam in duratione. Quumque in dispensatione suo modo quis illa iuris necessitate soluatur, facile intel-

ligitur, cuius eſt legem condere, eius etiam eſſe debere illius vinculum certo in caſu remittere.

Hinc diſpenſationis diſcrimen ab interpretatione *per epikiam* euidens eſt: hanc facere etiam magiſtratus ſubalternus poteſt.

§. LI.

Non niſi ob iuſtam cauſam.

Deſideratur in omni diſpenſatione *iuſta cauſa*, quae ſuadeat, aliquid remittendum eſſe in certo caſu a legum obſeruantia, qualis ſemper credita fuit *publica eccleſiae vtilitas*, aut eius *neceſſitas*. Exulent commodum ſingulare, omnisque hominum reſpectus oportet, vbi de religionis veneranda comite diſciplina euertenda agitur.

THOMASSINVS *de vet. et nou. eccleſ. diſcipl. p. II. lib. III. c.* 26. *§.* 5. PETR. DE MARCA *de concord. ſacerd. et imp. lib. III. c.* 13. *§.* 7. *ſeqq.* VAN-ESPEN *in diſſert. can. de diſpenſat.* Quare abſurda eſt eorum opinio, qui papam ſine cauſa diſpenſare poſſe, non ita epiſcopos arbitrantur.

§. LII.

Ad normam CONCILII TRIDENTINI.

Nihil magis optandum foret, quam vt ii, quorum in manibus eſt regimen eccleſiae, regulas, et cautiones a CONCIL. TRIDENT. in diſpenſationibus concedendis ſaluberrime ſtabilitas

litas alte in animum demittant, et in succum sanguinemque conuertant, cuius verba diuino spiritu plena hic adscribere non pigebit. *Sicuti publice expedit*, inquit, *legis vinculum quandoque relaxare, vt plenius euenientibus casibus et necessitatibus pro communi vtilitate satisfiat: sic frequentius legem soluere, exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu petentibus indulgere nihil aliud est, quam vnicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant vniuersi, sacratissimos canones exacte ab omnibus, et quoad eius fieri poterit, indistincte obseruandos. Quod si* 1.) VRGENS IVSTAQVE RATIO, 2.) *et maior quandoque* VTILITAS *postulauerint, cum aliquibus dispensandum esse, id* 3.) *causa cognita*, 4.) *ac summa maturitate*, 5.) *atque gratis a quibuscunque, ad quos dispensatio pertinebit, erit praestandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.*

Concil. trident. *sess. XXV. c.* 18. *de reform.*

§. LIII.

Dispensatur vel ad certum tempus.

Remittitur vero aliquid de rigore legis aut *ad certum tempus*, aut in *certo casu* vrgente iusta causa. Atque ad *certum tempus* quidem, si ea tempestas ingruat, vt quaedam dissimulanda veniant, quae absque grauiori publica iactura non possunt emendari, vtut sint aduersus leges facta.

Prudens est hac de re philosophia CYRILLI episcopi alexandrini ap. PETR. DE MARCA *L. III. c.* 13. *§. 9. saepe deflectendum a tenore regularum dispensationis causa, et vt euenire solet periclitantibus in mari, qui iacturam faciunt aliquarum mercium, vt reliquae seruentur, quaedam dissimulanda, vbi summum ius locum habere non potest, ne omnium rerum dispendium sequatur.*

§. LIV.

Vel ad certum actum.

Sed vt plurimum *ad certum actum*, et *casum* diriguntur dispensationes; quemadmodum enim fidelis dispensator omnia quidem ad praescriptam normam agere debet, in certo tamen casu ab ea recedere potest, quando sine iactura rei familiaris eam sequi nequit. Ita patres nostri proinde censuere, episcopos non aliter in legibus praescriptis seruandis versari debere, sed pro re nata quid remittere in certo casu debere, si rationes iustae id suaserint, non quod essent legum *domini*, sed *cum fidelis dispensatio rei ecclesiasticae* hanc potentiam exposceret.

Exempla huius rei plura dabit THOMASSINVS *p. II. lib. II. c.* 24. *§.* 19.

§. LV.

Dispensatio eccles. est stricti iuris.

Refert magnopere, dispensatio ecclesiastica quo in casuum genere versetur. Quaedam enim mere *ecclesiasticae* sunt, quae arbitrio iuris-

risdictionis ecclesiasticae subsunt: *stricte* quidem, non tamen *captiose*, atque ita capiendae, vt ne effectus ei quoscunque *ciuiles* tribuamus.

Inde est, quod illegitimus simpliciter dispensatus ad ordines, ad beneficia, non hoc ipso censeatur dispensatus ad ordines maiores, ad beneficia curata, dignitates ecclesiasticas, multo minus talis dispensatio ad obtinenda officia secularia extendi potest.

§. LVI.

Effectibus ciuilibus destituta.

Quaedam causae sunt *mixtae*, quae vtriusque generis effectus habere possunt. In his multum refert, a quo profecta sit dispensatio. Si enim a pontifice, tantum ad *effectus ecclesiasticos* prodest: sicuti si a principe politico, effectus duntaxat *ciuiles* operatur.

Causa *natalium legitimorum* ita comparata est, vt ad vtrumque referatur. Quod si princeps legitimatione facta dispensat, non habilis redditur legitimatus ad *iura sacra* recipienda. Sed nec dispensatio papalis successionis *allodialis*, aut *feudalis* capacem reddet, quod iam dudum agnouit natio germanica teste SPECVLO SAXONICO p. I. art. 3. p. m. 15.

§. LVII.

PRIVILEGIVM *definitur.*

Constitutionibus generalibus opponuntur *speciales*, quae et *priuilegia*, quasi *priuae leges*

adpellantur. Eſt quippe priuilegium nihil aliud, quam *conſtitutio*, *qua ſumma poteſtas* (vt hic accipimus) *eccleſiaſtica vel ob meritum aliquid indulget, vel extra ordinem aliquid imponit, ita tamen, vt ad exemplum non trahatur.*

Vid. *diſt. III can.* 3. AVL. GELL. *lib.* 10. *N. A. c.* 20. ſi adcurate ratiocinamur ab his priuilegiis diſtinguenda ſunt *beneficia iuris*, ſeu *generalia*, ſeu *ſpecialia*, quae huic aut illi fidelium ordini conceſſa in corpore iuris continentur, et proprie *iura ſingularia* audiunt. CVIACIVS *paratit. de priu.* §. 2. 4. 6.

§. LVIII.

Diuiditur.

Priuilegia, ſi vulgarem interpretum iuris doctrinam ſequimur, *odioſa* ſunt, quibus extra ordinem alicui quid imponitur: vel *fauorabilia*, quum cui ob meritum quidquam indulgetur.

§. LIX.

Idem.

Eadem porro priuilegia *perſonae* tribuuntur, vel *rei*. Illa *perſonalia*, haec *realia* dicuntur doctoribus. Illa cum perſona exſpirant: haec ad ſucceſſores quoque transmittuntur.

Vid. *tot. tit. de conceſſ. praeb. cauſ. XXXV. q.* 3. *can.* 20. *cauſ. XVI. q. I. can.* 39. Cf. CVIACIVS *lib.* 15. *obſeru. c.* 8.

§. LX.

§. LX.

Strictam exigit interpretationem.

Ea ratione verbis priuilegii ſtricte erit inhaerendum, quod adlegans pro ſe ſemper exhibere tenetur, nec vltra eius tenorem ad *perſonas*, aut *res alias* extendi poteſt, etſi eadem, vel maior ratio pro eius extenſione militare videatur.

Vid. *diſt.* C. *can.* 8. *cap.* 12. *de priuil. c.* 16. *c.* 25. *c.* 32. *eod. cap.* 40. *de offic. iud. deleg.* licet iure ciuili contra ſit. *l.* 2. *et vlt. cod. theod. h. t.* cuius ſubtilis ratio eſt in *l.* 1. *cod. quando libell. princ. dat.* Cf. INNOC. CIRONIVS *de priuil.* §. *vlt.*

§. LXI.

Varia ratione amittitur.

Amittitur priuilegium *renunciatione*, *reuocatione*, *morte concedentis*, ſi ad eius beneplacitum conceſſum: *abuſu*, *praeſcriptione*. Tum etiam ceſſante *qualitate*, ob quam conceſſum, aut *tempore* praeterlapſo, ad quod datum eſſe conſtat.

Vid. *cap.* 3. 6. 24. *h. t. c.* 22. *de praeb. c.* 11. 13. *h. t. c.* 21. *de ſent. et re iud.* Enimuero *iuri ſingulari* integro ordini conceſſo nullus ex ordine ne quidem in ſui praeiudicium renunciare poteſt. *c.* 12. *de foro compet.*

§. LXII.

Collegia ecclesiastica definiuntur.

Differunt ab his *statuta*, seu vt elegantius alicubi loquitur IVSTINIANVS, *instituta collegiorum*, quae in ecclesia vel cultus diuini promouendi caussa, vel exercendae charitatis, vitaeque perfectioris agendi amore a piis hominibus erigi contingit. Sunt autem COLLEGIA ECCLESIASTICA *societates inter familias singulares fidelium et integram ecclesiam mediae ad certum finem sacrum vnitae.*

Huc refero *capitula* ecclesiarum: religiosorum coetus: confraternitates, aliasque cuiusuis nominis societates pias, et religioni sacras.

§. LXIII.

Confirmatione opus habent.

Cuius generis societates, vt iuribus gaudeant, et priuilegiis, quibus aliae his similes a principibus christianis non minus, quam ecclesia dignae sint existimatae, necesse est ab *vtraque reipublicae potestate* admissas fuisse, ac confirmatas.

Facile concesserim, principis non esse tantam potestatem, vt, conueniatne religioni, an non societas ecclesiastica nuper condita, iudicium sibi vindicet? Eorum istud proprium est, *quos Spiritus S. posuit regere ecclesiam Dei.* Verum tamen, quid saluti reipublicae ciuilis expediat, quid valeant humeri subditorum, quid ferre recusent, ecquis

est,

est, qui discernat, nisi is sit, penes quem est in republica summa potestas?

§. LXIV.

STATVTA *definiuntur.*

Conuentiones, quibus illi, qui collegium constituunt, ea, quae ad finem propositum, conseruandumque ordinem pertinent, determinari solent, mihi placuit *statuta,* siue *instituta* adpellare.

Quod conuentiones dixerim, noli mirari. Collegium *societas aequalis* est, in qua, qui in actiones aliorum imperium arbitrarium habeat, reperias neminem: pactis igitur conciliantur, non legibus, nisi latissime acceptis. Caue tamen cum his confundas constitutiones, quae non a collegiis aut vniuersitatibus factae sunt, sed ab ipso legislatore indultae, et *pragmatica sacra* vocantur *can. vlt. dist. CI.* quaeque publici iuris sunt, et ab omnibus agnosci vt tales debent.

§. LXV.

Iis collegiorum membra obstringuntur.

Statutis rite conditis *omnia collegii membra* non minore atque legibus ipsis efficacia adstringi certum est, modo iuri communi non sint difformia, et vtriusque sacrae scilicet, et politicae potestatis auctoritate debitum robur acceperint.

Cap. 12. *h.* 6. 10. *t. c. pen. de consuet. c.* 17. *de elect. in VI. c.* 3. 4. *vt lite pendent.* iunge FRANC. FLORENS. *ad h. t. p.* 78. An et summi pontificis necessarius

est consensus? ita multi sentiunt propter *cap. vlt. de V. S.* Sed vide sis IAN. A COSTA *in comment. ad decret. ad h. t. p.* 14. 16. 17.

§. LXVI.

Et iudici secundum ea ius dicendum est.

Tum vero legum instar ab omnibus custodienda sunt, poenaque adficitur, quisquis vim eorum, et potestatem contemnendam duxerit. Neque minus iudicis officium est, ex horum praescriptione causas controuersas, quum id res tulerit, decidere.

Vid. *cap. vn. de synd. c.* 11. *h. t.* quod posterius capitulum, nisi, quae desunt, suppleas ex integra decretali in *cap.* 12. *de iureiur. compilat. III.* intelligi non posse recte monuit harum rerum peritissimus FRANC. FLORENS.

§. LXVII.

Non sint a iure communi aliena.

Quoniam vero statuta collegiorum non oportet a iure communi esse aliena, perspicua est ratio, cur episcopi iisdem inuigilent, prauaque corrigant, ambitiosa, et falsa suggestione obtenta rescindant, veteraque sine suo atque aliorum, quorum interest, consensu mutari non patiantur.

Cf. VAN-ESPEN *in vindic. diss. canonic. de pecul. et simonia cap. III. §.* 4. adde *cap.* 6. *h. t. c.* 12. *eod. c.* 7. 8. *de confirm. vtil.* iunct. *c.* 15. *de iudiciis* et FRANC. FLORENS. *ad h. t. pag. m.* 77. vid. *cap.* 2. 3.

3. 5. 6. 8. *de constit. compil. V.* nuper inter opera CIRONII editae, quam velim omnibus iuris canonici studiosis quam commendatissimam esse.

§. LXVIII.

Ideo Episcopi inspectioni subiacent.

Eadem denique vulgatae huius regulae statuta ita esse declaranda, vt quam minime a iure communi aberrent, ratio est, quod confirmatio in *forma*, vt aiunt, *communi* non excludat episcopi inspectionem, quodque certi numeri canonicorum determinatio, auctis subinde ecclesiae facultatibus, augmentum haud respuat.

Cf. VAN-ESPEN loco nunc laudato et IAN. A COSTA *ad cap. 9. de constit.* in quo interpretando pro insigni sua eruditione elegantissime versatus est.

§. LXIX.

RESCRIPTVM *definitur?*

Circa omnia iuris capita versantur RESCRIPTA, quae licet neque generalia, neque totius communitatis iura sint, legem tamen iis saltem negotiis, ac personis faciunt, pro quibus edita fuerunt. Haec ratio fuit, vt post tractatum de constitutionibus pontifex de rescriptis exponeret.

Vid. *c.* 8. 9. 22. *h. t. c.* 11. *de concess. praeb.*

§. LXX.

Etymologia traditur.

Reſcriptum autem, quod a *ſcribendo* dictum omne *reſponſum ſcripto datum* ſignificat, eoque etiam reſponſa legislatorum et ſuperiorum ſeu iuri communi conuenientia, ſeu ab eo diſſentientia comprehendit. Proprie vero notat *ſolennem epiſtolam, qua princeps eccleſiaſticus vel ad conſultationem de iure reſpondet, vel precantibus gratiam indulget.*

Vid. *can.* 1. *diſt.* XIX. *can.* 3. *diſt.* XXIX. *c.* 1. 2. *h. t. c. pen. de offic. vicar. c.* 23. *de praeb. in VI. c.* 3. *de procurat. c. vlt. de eo, qui cognou. conſang. c.* 24. *de offic. iud. deleg.* Reſcripta variis nominibus in iure inſigniri ſolent, et *literae apoſtolicae, mandata, commiſſiones, decreta, literae iuſtitiae, beneficii, gratiae* dicuntur.

§. LXXI.

Origo reſcriptorum pontificiorum.

Decretales ſumm. pontificum quoad maximam partem conſiſtunt in *reſcriptis*, cuius rei cauſa petenda eſt ex diſciplina eccleſiaſtica decretalibus coaeua, vi cuius depreſſa auctoritate ſynodorum prouincialium, magisque ſe explicante plenitudine poteſtatis pontificiae, vti et inuecto ſtrepitu forenſi relationes, ſupplicationes et adpellationes ad ſedem apoſtolicam, ac papales beneficiorum prouiſiones magis inualuerunt.

Conſ. FLEVRY *in hiſt. eccleſ. diſſ. VII. §.* 7.

§. LXXII.

§. LXXII.

Rescripta vel secundum, vel contra, vel praeter ius.

Haec rescripta sunt vel *secundum ius*, quae dantur ad iuris obseruantiam, vel *contra ius*, vti dispensationes, exemptiones etc. vel *praeter ius*, quae dantur circa ea, quae iure non sunt decisa, et haec adpellantur rescripta *decisoria*.

§. LXXIII.

Rescripta vel absoluta, vel conditionata vel disiunctiua.

Praeterea rescripta sunt aut *absoluta*, quae pure, aut *conditionata*, quae sub conditione concepta sunt, aut *disiunctiua* quibus praecipitur aliquid fieri, si hoc vel illud ita se habeat.

§. LXXIV.

Rescripta vel excitatoria, vel restitutoria, vel adtributoria.

Porro rescripta alia sunt *excitatoria*, quibus ordinarius ad ea facienda excitatur, quae ex officio facere potest et debet. Alia *restitutoria*, quibus ordinario praecipitur, vt quae alias potest vt *ordinarius*, nunc tanquam sedis

apost.

apoſt. delegatus faciat. SYNOD. TRID. *ſeſſ. V. c.* 1. *ſeſſ. VII. c.* 8. *et ſeſſ. XIV. c.* 4. Alia *adtributoria*, quibus ordinario, quae vt ordinarius non poteſt, nec alias potuit, committuntur.

§. LXXV.

Reſcripta vel per bullam vel breue dari ſolent.

Aliaque reſcripta dari ſolent per *bullam* ſeu literas pontificias in membrana nigra ſcriptas latius extenſas in maioris momenti cauſis, adpenſo ſigillo plumbeo effigiem SS. Apoſtolorum Petri et Pauli continente, et ab ipſo S. pontifice ordinarie ſubſcriptas: alia autem expediuntur per *breue apoſtolicum* ſeu literas pontificias in minoribus negotiis conceſſas, vel in membrana vel papyro ſcriptas, cera rubra vel viridi, annulo piſcatoris ſigillatas et ſigno ſecretarii ſubſcriptas.

§. LXXVI.

Reſcriptum gratiae, iuſtitiae, et mixtum.

Ex his adparet, aliud reſcriptum eſſe *gratiae*, aliud *iuſtitiae*. Illud ex mera ſummi pontificis *liberalitate et beneficio*. Hoc ex *iuris ordine* procedit. *Illo* indulgentia, beneficium, priuilegium, aut exemptio ad cuiusquam ſupplicationem indulgetur. *Hoc* vel ad conſultationem alicuius explicatur ius dubium vel ad alicuius petitionem delegatur iudex vel alias iubetur iuſtitia adminiſtrari. Sed etiam aliud dici-

dicitur *mixtum*, quod ex his coalescit, vt si pontifex cuidam confert, aut conferri suadet beneficium eccles. simulque ad hunc effectum constituit *executorem* cum potestate compellendi refractarios.

Vid. *cap.* 10. 13. 14. *h. t. cap.* 7. *eod. in VI. Clem.* 4. *ibid.*

§. LXXVII.

Rescripta gratiae aut in forma gratiosa aut dignum expediri solent.

Vlterius rescripta gratiae emanant aut in forma *gratiosa* seu noua, aut in *forma communi*, seu *commissionis* vel *dignum*. Illa dantur, quibus cum filis rubri croceique coloris expeditis pontifex romanus confert clerico beneficium, et quod tali rescripto clericum esse dignum censeat, adiungit bullam executoriam, seu mandatum ad deputatos *executores* in *forma dignum*. *Illa* rescripta conceduntur, quando licet impetranti aliquando ad beneficium tribuatur ius, de eo tamen prouisio non Romae a pontifice fit, sed facienda, aut saltem per tituli collationem perficienda remittitur ad dioecesis ordinarium cum mandato, vt praemisso examine, clerico, pro quo rescribitur, si idoneus reperiatur, conferat beneficium, istiusque possessionem tradat.

§. LXXVIII.

Rescripta dant rectores.

Rescriptum ius facit: nihil igitur ambigendum, quin id ab alio, quam qui supremam obtinet, et liberam potestatem, dari nequeat, quo in numero summum pontificem in iis, quae spiritualia sunt, et ad ecclesiae disciplinam pertinent, collocare haud dubie licet.

Habet Roma diuersas cancellarias, in quibus expediri rescripta vsus docet, praecipue signaturam gratiae, signaturam iustitiae, poenitentiariam, datariam, secretariam breuium, de quibus supra *P. I. cap. V. §. 519. seqq.*

§. LXXIX.

Impetrant omnes regulariter.

Impetrare potest rescriptum omnis, qui non prohibetur, vt habet vulgata regula. Prohiberi autem constat *eos*, qui *mandatum* non habent: *haereticos maiori excommunicatione innodatos*: nisi id petatur super excommunicatione.

Cap. 26. et 33. h. t. cap. 1. eod. in VI.

§. LXXX.

Pro quo quis petere debeat?

Iure ciuili nihil interest, pro se quis, an pro alio rescriptum impetrauerit. Qua in re hoc tamen animaduertendum, vt rescripta

gra-

gratiae prosint alteri, modo huius secuta sit ratihabitio. *Iustitiae* vero quae sunt, *mandatum* interuenisse exigunt, praeterquam inter *personas coniunctas*.

L. 6. cod. de precib. imp. offer. l. 26. cod. de procurat.

§. LXXXI.

Contra quem rescriptum impetrari possit?

Impetrari porro rescriptum potest aduersus quemcunque concedentis potestati subiectum. *Decernimus*, inquit tamen pontifex, *vt cum in commissionibus nostris minores, vel viliores personae solummodo designantur, maiores, et digniores sub generali clausula non intelligantur includi: nec super maioribus, et grauioribus negotiis audiantur, qui de minoribus et leuioribus tantum faciunt mentionem.*

Cap. 15. *h. t.* Quare si rescripto inest clausula: et *quidam alii:* item *res aliae:* neque vi illius personae digniores conueniri possunt, neque haec ad negotia expressis grauiora pertinet.

§. LXXXII.

Super qua re impetrari rescriptum possit?

Nullam denique rem esse, quae quidem deduci in iudicium, quaeue ex officio, aut gratia petentibus indulgeri potest, super qua impetrari rescriptum a papa nequeat, docent vulgo plerique omnes: quod ego ferri posse non

nego, id modo, si addas, contra statuta patrum ne eius quidem sedis auctoritatem valere.

Mandatis apostolicis de prouidendo, gratiis exspectatiuis aliisque eius generis rescriptis quantum insit momenti, ex CONC. TRID. *sess. XXIV. cap.* 19. *de reform.* disces.

§. LXXXIII.

Partes rescripti.

Rescriptum constare solet tribus partibus. *Narratione*, quae est *expositio* negotii, super quo rescriptum conceditur, *supplicatione*, qua oratoris petitio exprimitur. *Conclusione*, seu vt practici loquuntur, parte *dispositiua*, in qua mens rescribentis cum debitis clausulis exprimitur.

§. LXXXIV.

De auctoritate rescripti.

Auctoritas rescripti aestimatur secundum *potestatem* et *voluntatem* pontificis rescribentis. Ex voluntate et consensu pontificis *veritas*, et *validitas*, *ex potestate autem validitas* ac *necessitas* exequendi rescripti deducitur.

§. LXXXV.

Consensus rescribentis debet esse specificus.

Circa consensum rescribentis variae obseruandae sunt regulae. Nam I.) consensus iste debet esse *specificus*. Vnde facile patet, nihil probare *narratiuam* papae rescribentis: nisi is narret ex *certa scientia* vel de *facto proprio*.

Quare si pontifex vocet aliquam ecclesiam *exemptam*, non propterea illius ecclesiae exemptio est probata. *cap.* 10. *de priuil. in VI.*

§. LXXXVI.

Debet veritate niti.

Consensus iste II.) debet esse ad veritatem precum *relatiuus*. Ex quo inferre licebit, quod cuiuscunque generis sint rescripta, vt robur suum obtineant, *preces* et *relationes*, quarum ratione exarari solent, veritate niti debeant, adeo, vt clausula: *si preces veritate nitantur:* etsi non inserta, tacite insit rescriptis a papa profectis.

Quod ex vetere iure ciuili, quod ante *l. vlt. cod. de diuers. rescript.* obtinuit, pontifex retinuit in *c.* 2. *h. t.* cuius speciem determinauit vir doctissimus Ioan. a Costa *ad h. t. p. m.* 29.

§. LXXXVII.

Quid exceptio sub- et obreptionis?

Quod si itaque veritas, aut *suggesto falso*, aut *veritate suppressa*, occultetur, locus est

exceptioni ob- et *ſubreptionis*, qua is, in cuius praeiudicium impetratum eſt, illud oppugnare poteſt. Eam ob cauſam magiſtratus inferiores in veritatem reſcripti primum inquirant, eſt neceſſe: executionem, ſi mendaces preces ſint, ſuſpendant, quin et nonnunquam papae remittant extra ordinem puniendos.

Vid. *c.* 2. 5. 8. 10. 17. 20. 24. 26. 27. *h. t. c.* 6. *de praeb. c.* 2. *de offic. iud. deleg.* Quod autem dixi, in veritatem precum inquirendum ei eſſe, cui mandata eſt executio, in cauſa eſt, cur *preces* et *relatio* reſcriptis inſerenda ſint. *cap.* 5. *de cohab. cleric.* Sane quidem fatentur ipſi pontifices ſaepe imponi ſibi *propter varias occupationes*; quare aliquando ſua reſcripta reuocant. *cap. vlt. h. t. in VI.* et laudant eos, ad quos huiusmodi reſcripta diriguntur, ſi ſe de fraude moneant. *c.* 2. 5. 8. 10. *h. t. c.* 6. *de praeb. et dig.*

§. LXXXVIII.

De ob- et ſubreptione circa cauſam finalem vel impulſiuam ex dolo et ignorantia.

Contingit autem *ob-* et *ſubreptio* circa cauſam vel *finalem* vel *impulſiuam* reſcripti. Cauſa *finalis* ſeu *motiua* eſt, quae *principaliter* mouet reſcribentem ad reſcribendum, ita vt ea deficiente papa non reſcripſiſſet. Cauſa *impulſiua* dicitur, quae reſcribentem inducit, vt *facilius* et *citius* reſcribat, qua tamen non adlata adhuc reſcripſiſſet. Porro ſecernenda eſt ob-et ſubreptio, quae ex dolo et malitia ſupplicantis cauſam habet ab illa, quae per *culpam*, *ignorantiam* aut *ſimplicitatem* commiſſa eſt.

§. LXXXIX.

§. LXXXIX.

Quomodo rescripta ob- et subreptione dolose obtenta irritentur?

Rescriptum per *ob-* vel *subreptionem*, siue haec acciderit circa causam finalem, siue impulsiuam, *dolo* obtentum, siue sit *gratiae* siue *iustitiae* est ipso iure *nullum*. Id quod patet ex *cap.* 20. *h. t. nullum commodum ex his literis consequatur:* consentiente *cap.* 15. *h. t. tanquam mendax precator careat penitus impetratis.* Et quidem rescriptum tale in totum vitiatur, ac proinde si vel maxime rescriptum *pluribus* capitibus, siue inter se sint connexa, siue non, constet, et in aliqua parte tantum falsitas commissa sit, precista tamen carere debet omni commodo, etiam in illa parte, in qua falsitas haud commissa.

§. XC.

Quomodo vero rescriptum ob- et subreptione culpose obtentum.

Iam vero in casu *ob-* et *subreptionis* per ignorantiam seu simplicitatem commissae distinguendum est, vtrum ob- et subreptio versetur circa causam rescripti *finalem*, an circa *impulsiuam*. *Priore* casu rescriptum gratiae ipso iure corruit, rescriptum vero iustitiae annullandum est *ope exceptionis*. *Posteriore* autem eatenus rescriptum valet, quatenus veritate expressa pontifex saltem in *forma communi* rescripsisset.

Exemplo res illustratur in rescriptis *iustitiae*. Ponamus precatorem commissarios sibi dari, simulque vt causa *summariter*, ex more illius loci recepto tractaretur, petiisse. Si vel maxime mos illius loci non ferat, vt causa ea summariter tractetur, et hoc per *ignorantiam* adlegatum sit, valet tamen rescriptum, non vt summariter causa tractetur, sed vt commissarii ex delegatione in ea procedere debeant. Idem etiam est in rescriptis gratiae, vt patet ex *cap.* 7. *de rescript. in VI.* vbi declaratur, quod gratia, quam clericus super beneficio a sede apostolica impetrauit, ex eo *vitiosa* reputari non debeat, quod de alio beneficio sibi *absenti* et ignoranti prius ab episcopo collato, nullam in sua supplicatione fecerit mentionem.

§. XCI.

Quomodo rescripta solenniter et rite condita?

Praeterea III.) consensus iste pontificis rescribentis debet esse *authentice* et *legaliter* declaratus. Vnde illa demum rescripta *solenniter* et *rite* esse condita adfirmari potest, quae sese recte habent 1.) in *inscriptione*, *vt nomen pontificis* praeponatur, ac *annus incarnationis Christi*, *pontificatus mense*, *die*, *loco adiecto* subdatur. *cap.* 6. *de crim. fals.* 2.) in *stilo salutationis* vt pontifex in suis rescriptis patriarchas, archiepiscopos et episcopos vocet *venerabiles fratres*, reliquos vero siue clericos siue laicos, *dilectos filios*, et vt papa scribens singulari personae non plurali *vos* et *vester*, sed singulari locutione *tu* et *tuus* vtatur. 3.) in *charactere* tum in *bullis* tum in *breuibus* consueto. 4.) in *signatura*, vt supplicationes signentur in materia *gratiae* per verbum *fiat* vel *con-*

cessum,

cessum, in materia *iustitiae* per *placet.* 5.) in *sigillo*, vt bullae expediantur cum sigillo *plumbeo*, breuia sub *annulo piscatoris.* 6.) in *charta*, vt breuia exarentur in membrana *subtili* et *alba*, bullae in membrana *grossa et nigra.* 7.) in *filo*, vt bulla *gratiosa* ex chordis *sericis*, bulla *iustitiae* ex filo cannabis pendeat. 8.) in *integritate.* 9.) in *tenore*, vt nihil *insoliti* contineant. *cap.* 5. 10. *h. t.*

§. XCII.

Quaenam notae falsitatis rescriptorum?

Hisque ita constitutis determinantur notae *falsitatis* rescriptorum. 1.) ex defectu *inscriptionis.* 2.) *characteris*, si rescriptum manifestum *latinitatis* errorem contineat. *cap.* 11. *h. t.* 3.) *salutationis.* 4.) *signaturae* 5.) *sigilli.* 6.) chartae. 7.) fili. 8.) ex *rasura* aut *litura* in loco *suspecto. cap.* 6. *de fid. instrum..* 9.) ex adnexu *insolitorum.*

§. XCIII.

Consensus fini rescribentis conformis.

Tandem etiam IV.) consensus censetur fini rescribentis *conformis.* Quam quidem ob caussam in omnibus rescriptis siue ad lites, siue ad beneficia, vt doli et fraudes impetrantium vitentur, facienda est mentio ecclesiarum nominatim, nomen impetrantis, dignitas, beneficium, si quod habet, licet minimum, vires

patrimonii; si *forma communi* rescriptum editur, qualitas personae, et corporum, aduersus quae impetratur; neque sufficit generalis quaedam designatio.

Vid. *cap.* 4. 6. 15. 17. 36. 42. *h. t. cap.* 2. *eod. in VI. cap.* 2. *de dolo, et contum.* et IAN. A COSTA *ad cit. cap.* 4. *h. t.* vbi casum eius capituli exponit, et reliqua interpretum commenta negligenda esse recte iudicat.

§. XCIV.

Sunt strictae interpretationis.

Enimuero rescripta impetrantis duntaxat, non autem omnium intuitu ius faciunt. Strictissime igitur personae, et loca in iis expressa accipiuntur, neque ad alterius generis seu res, seu personas admittenda extensio est, etsi clausula foret adiecta, vt fere adiici solet, vel *aliae res, aliaeue personae.*

Vid. *cap.* 33. 34. 35. 36. 38. *h. t. cap.* 6. *eod. in VI.* Et ita quoque verba cuiuscunque rescripti accipienda sunt, vt id quam minimum iuri tertii quaesito praeiudicet. Sciendum tamen est, *rescripta iustitiae* posse *ius commune* euadere: quando legislator ea edicti nomine adiecerit; *similium* causarum fata componere debere, aut *ius dubium* vniuersim determinent, aut denique publica auctoritate collecta fuerint, si modo rescribentis auctoritas non aliunde certos intra limites fuerit restricta.

§. XCV.

§. XCV.

Quando obligent?

Valor eorum varie se pro diuersitate rescriptorum exerit. Namque rescripta quidem *gratiae* a die *datae;* iustitiae vero a die *praesentatae* seu insinuationis robur suum, atque auctoritatem consequuntur. Illud quoque animaduertendum est: *posteriora* praeferri prioribus, si horum illa meminerint, et impetrans intra annum siue dolo, siue culpa impetratis vsus non est: *specialia* derogare generalibus.

Vid. *cap.* 1. 3. 9. 12. 14. 16. 23. 32. *h. t. c.* 9. *eod. in VI. c.* 28. *de off. iud. deleg.* Ad concilianda *capitula* 7. 19. 30. *h. t.* Variis interpretum sententiis nobilitata vtimur distinctione IAN. A COSTA *comment. p. m.* 40. quam dabimus in ipsa explicatione. Ceterum conf. INNOC. CIRONIVS *h. t.* 10. *seq.* et ENGEL. *coll. iur can. h. t.* §. 18.

§. XCVI.

An duo ad diuersos iudices valeant?

Super vno eodemque negotio duo rescripta ad *diuersos* iudices impetrata omnino non valent, nisi alterum mentionem *prioris*, et reuocationem contineat. Quod si dubia est reuocatio, iudicabunt simul, quibus nisi conuenerit, ad arbitros recurrendum est.

Vid. *cap.* 3. 14. 16. *h. t.* IAN. A COSTA in *comment. pag.* 31. *et ad tit. de offic. iud. deleg.*

§. XCVII.

Eius ratio.

Quin immo nec poteſt actor in *negotiis perſonalibus pluribus* diuerſos obtinere iudices, ne reus temere per plura iudicia diſtrahatur, quod et in reo obtinere debuit ex pluribus cauſis reconuentionem habente.

Vid. *cap.* 10. *et vlt. h. t. et cap.* 3. *eod. in VI.* ex qua humanitatis ratione illud quoque eſt, quod nemo vi reſcripti vltra duas diaetas ad iudices trahendus ſit. *cap.* 28. *h. t.* immo hodie extra dioeceſim *cap.* 2. *eod. in VI.* et iis caſibus, in quibus extra dioeceſim proficiſcendum, non vltra tamen diaetam *cap.* 11. *h. t. in VI.* Ex quo capitulo, vt id obiter moneam, adparet, non ſolere pontificem, vel eius legatos committere cauſas, niſi clericis dignitatem perſonatum, aut canonicatum in eccleſia cathedrali habentibus. Adde *cap.* 2. *h. t. in clem.*

§. XCVIII.

De valore reſcriptorum ex poteſtate S. pontificis.

Quod ad *validitatem* et *neceſſitatem* exequendi reſcripti adtinet, hae tenendae erunt regulae: 1.) executionem reſcriptorum pontificiorum eſſe *neceſſitatis*, neque 2.) omittendam eſſe ſine *rationabili* cauſa, iſtamque exponendam eſſe S. pontifici *cap.* 5. *h. t.* 34. *de praeb.* 3.) reſcripta gratis eſſe *exequenda. cap.* 16. *de vit. et honeſt. cler.* CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXI. c.* 1. *ſeſſ. XXII. c.* 5. *ſeſſ. XXIV. c.* 4. Executori tamen licet pro labore aliquid *moderate* accipere.

§. XCIX.

§. XCIX.

Poteſtas autem haec tantum ſpiritualis.

Quia autem pontifex tantum poteſtatem ſpiritualem habet, ideo 1.) reſcripta pontificis impetrari poſſunt contra *quemcunque*, modo iurisdictioni eius *ſpirituali* ſit ſubiectus, *cap.* 7. *de iud.* 2.) Reſcripta haec valent de omnibus cauſis *ſpiritualibus*, quae in *iudicium* deducuntur, quaeue ex officio vel gratia concedi poſſunt. 3.) Reſcripta, quae *dogmata aut forum internum* reſpiciunt, priuatiue fulciuntur auctoritate ſpirituali. 4.) Econtra reſcriptorum diſciplinarium vis legalis et executiua dependet a *placeto regio:* et 5.) prorſus inualida ſunt reſcripta pontificum in cauſis *mere temporalibus*.

§. C.

Poteſtas haec adtemperata ad ſalutem eccleſiarum et iura aliorum.

Et quoniam poteſtas S. pontificis eſt adtemperata ſaluti eccleſiae et ſacris canonibus, ſequitur 1.) irrita eſſe reſcripta, ſi laedant *vtilitatem* eccleſiae publicam. 2.) *nulla*, aut ſaltem inſolita eſſe reſcripta, quae ſunt contraria *ſacris canonibus* aut *conſuetudinibus. cap.* 1. *de conſuet. in. VI.* et ſpeciatim conſtitutionibus alicuius *concilii oecumenici*, *cap.* 3. 4. *de capell monach.* 3.) effectu executionis carere reſcripta, quae turbant manifeſtam iurisdictionem

nem

nem ordinariorum, eorumque ius et officium *hierarchicum* in caufis difciplinae et correctionis; 4.) quae impingunt in *libertates*, *leges publicas* et *fundamentales*; atque *concordata* regnorum et prouinciarum.

§. CI.

Quomodo refcripta ceffent?

Exfpirant refcripta 1.) *renuntiatione* eius, in cuius fauorem funt conceffa, *cap. fin. de refcript.* 2.) *reuocatione* concedentis, 3.) *morte* concedentis *re integra*, fi fint refcripta *iuftitiae. cap.* 20. *et* 30. *de off. iud. deleg.* aut gratiae faciendae, *cap.* 36. *de praeb. in VI.* Secus dicendum de refcriptis gratiae iam *facta* e quae funt perpetua. *cap.* 9. *de off. iud. del. in VI.* 4.) *morte* eius, cui executio nominatim committitur, nifi fit commiffa dignitati. 5.) *morte* illius, qui refcriptum gratiae ad beneficium impetrauit; aliud autem iuris eft in refcriptis priuilegiorum realium, et in refcriptis iuftitiae, re non amplius integra, ac in iudicio productis. 6.) *morte* illius, contra quem refcriptum iuftitiae eft impetratum, nifi res adhuc fit integra, ita vt illud non tranfeat in haeredem.

§. CII.

CONSVETVDO.

Altera iuris ecclefiaftici fumma fpecies eft illa, quae *fine fcripto* moribus vtentium vim

vim et auctoritatem obligandi *tacito*, aut etiam *expresso* legislatoris consensu obtinuit.

Obseruauit id ipsum S. BASILIVS *can. 5. dist. XI.* ECCLESIASTICARVM, inquit, *institutionum quasdam* SCRIPTVRIS, *quasdam vero* APOSTOLICA TRADITIONE *per successionem in ministerio confirmatas accepimus: quasdam vero* CONSVETVDINE *roboratas adprobauit vsus, quibus par ritus, et idem vtriusque pietatis debetur adfectus.* Ex quo S. BASILII loco adparet, tres iuris ecclesiastici species inter se distinguendas esse. I. *constitutiones ecclesiasticas* II. *traditionem* III. *consuetudinem.*

§. CIII.

Definitur.

Est autem *consuetudo*, vt ISIDORVS ait *can. 4. dist. I. ius quoddam moribus introductum, quod pro lege obseruatur, quum deficit lex;* seu est *ius diuturnis populi fidelis moribus introductum, et ab eo, cui ius statuendi competit, comprobatum.*

Varie solet adpellari velut *mos solitus l. 20. §. 3. cod. de agric. et censib. mos maiorum l. 1. §. 1. de offic. eius vsus longaeuus l. 2. cod. quae sit long. consuet.* vt interpretes notarunt.

§. CIV.

Eius requisita sunt.

Ex qua definitione patet, ad consuetudinem, vt vim iuris et auctoritatem consequatur, requi-

requiri 1.) mores populi fidelis, 2.) adprobationem eius, qui poteſtatem ſtatuendi habet: quae ſi adſint, tum vero 3.) conſuetudo inſtar legis obſeruanda eſt.

§. CV.

a) Diuturnitas temporis et b) actuum frequentia.

Primum igitur, quod ad conſuetudinem introducendam requiritur, eſt *diuturnitas temporis*, et *actuum frequentia.* Quod ad tempus inter ſententias adeo *variantes inter ſe rationi, et iuribus conformior erit illa praeferenda, quae ſtatuit, tot annorum requiri interuallum, quot ſufficere prudentis arbitrio videri poſſunt ad probabilem de voluntate ſuperioris coniecturam.*

Diuturnitatem temporis requirimus, vnde *inueterata conſuetudo dicitur l. 32. §. 1. D. de legib. diuturna l. 34. eod. longaeua l. 2. cod. quae ſit long. conſuet. perpetua l. 6. pr. D. quod cuiuscunque vniuers. nom. vetuſtiſſima l. vlt. cod. de priuil. ſcholar.* et denique *longa. cap. vlt. h. t.* Cum ergo nec leges, nec canones introducendae conſuetudini certum tempus praefixerint, prudentis iudicis arbitrio eius determinationem, deciſionemque pro rei negotiiue qualitate, grauitate, aliarumque circumſtantiarum conſideratione reliquiſſe videntur. *Arg. l. 1. D. de iure deliber.* vid. CORASIVS *ad l. 32. D. de legib.* IOAN. HARPRECHT *ad §. ſine ſcripto 9. Inſtit. de I. N. G. et ciu. §. 35.* LAVTERBA. *ad tit. D. de legib. §. 35.* PLACID. BOECKN. *in comment. ad ius can. h. t. §. 36. ſeqq.*

§. CVI.

§. CVI.

Sed nec diuturnitas temporis.

Nulla ergo eſt ratio ſufficiens cum multis praeſertim veteribus canonum interpretibus ſtatuendi differentiam inter conſuetudinem, quam vel per modum *conniuentiae*, vel per modum *praeſcriptionis* induci poſſe exſtimant. Nec alteram illam opinionem, quae ad conſuetudinem contra ius ciuile 10. vel 20. annos ſufficere, contra ius canonicum vero 40. annorum ſpatium requiri ſtatuit, in legibus, vel canonibus fundatam eſſe cenſemus, cum conſenſus legislatoris tacitus, vel prudenter praeſumtus omni conſuetudini auctoritatem et robur legale impertiatur.

Fundamentum vtriusque diſtinctionis patroni collocant in *cap. vlt. h. t.* vbi pontifex dicendo *conſuetudinem legitime praeſcriptam* eſſe debere, innuere videtur, conſuetudinem et praeſcriptionem eodem temporis ſpatio metiendam eſſe, vt adeo ſecundum hos conſuetudo per modum praeſcriptionis, ignorante etiam legislatore, ſolo 10. annorum lapſu in ius tranſeat. Aliter vero ſe rem habere hi contendunt intuitu conſuetudinis, quam per modum *conniuentiae* ſciente, ſed non contradicente legislatore pedetentim ſine temporis praefixione inualeſcere, viresque iuris accipere volunt. Vid. Svarez, *de legib. lib. VII. cap.* 8. Engel *in colleg. iur. can. h. t. n.* 14. *ſeqq.*

§. CVII.

§. CVII.

Nec frequentia actuum canonibus est determinata.

Porro quamuis consuetudo inchoari possit ab aliquo actu insigni, quem ceteri postmodum imitentur, induci tamen nonnisi *pluribus* potest *l.* 1. *et* 2. *cod. quae sit long. consuet.* iisque *non coactis l.* 116. §. 1. *de R. I. vniformibus et animo introducendae obligationis a maiore populi fidelis parte positis.* Qua ratione consuetudinem in *vniuersalem*, et *particularem* diuidere cum interpretibus possumus.

Vtrum autem actus illi *iudiciales* esse debeant, an sufficiant *extraiudiciales*, disputant. Iam diximus, vim obligandi, quae consuetudini introductae inest, tacito, vel praesumto legislatoris consensui adtribuendam esse, de quo sine actibus iudicialibus constare potest. Vid. VOET. *comm. ad pand. de legib.*

§. CVIII.

Debet ergo ab adlegante probari.

Ex his autem intelligi potest, *consuetudinem factis* introduci, atque adeo probari eam debere ab eo, qui fundamentum positionis suae in ea reponit: neque praetextum notorietatis sufficere ad onus probandi a se amoliendum.

Quamuis enim consuetudo sit ius, neque ius alias probandum sit, hoc tamen nonnisi de *iure certo*, et constituto intelligere par est. Ceterum a probatione libe-

liberari eum, qui ad consuetudinem notoriam prouocat, vulgo docetur, quod non negauerim, sed plerumque euenit, vt hoc aeque dubium sit, quo fit, vt si aduersarius *notorietatem* neget, consuetudo, quae notoria esse dicitur, nihilominus probari debeat. Stryck *diss. de notorio.*

§. CIX.

Quomodo probanda?

Enimuero quo tandem modo probanda sit consuetudo, non est expeditu facile; Varia enim est prudentum doctrina. Certe vnius testis auctoritas, etsi vsus forensis peritissimi, non sufficit. Decem esse necessarios nullo iure probatur. Valet enim et in his plurimum iudicis prudens arbitrium.

In antiquissimis ecclesiae institutis probandis testes etiam de auditu deponentes audiendos esse, non est a iure canonico alienum. Vid. *cap.* 13. *de prob.* et ibid. Gonzalezius conf. Colervs *de process. execut. lib. I. cap.* 3. *n.* 34. et Schilter. *in prax. iur. rom. exercit. II. §.* 70.

§. CX.

c) *Requiritur consensus legislatoris.*

Alterum, quod in consuetudine introducenda desideratur, est eius, qui statuendi ius habet, consensus, eo quod populi fidelis non est tanta auctoritas, vt etiam legibus ferendis sufficiat. Neque tamen, si auctoritate stamus, necessarius est *personalis*, seu *positiuus*, sed et

interpretatiuus, vt aiunt, et ex ipsa toleran- ia *praesumtus* et *legalis* in hunc finem aptus est. Interim tamen quandoque et *expressus* esse potest, claris signis adprobando consuetudinem e. g. sententiam ferendo secundum illam.

Quod si tamen per errorem princeps consentiat, non sufficit, quia consentire non intelligitur, qui errat. vid. WIESTNER *h. t.*

§. CXI.

Inde est, quod non possit esse contraria bonis moribus.

Quoniam vero non est in legislatoris humani potestate, aut naturali legi, aut diuinae positiuae detrahere, et quidquam bonis moribus et saluti ecclesiarum, patrumque institutis contrarium conniuendo admittere, euidens sane est, consuetudinem his repugnantem esse irrationabilem, et per consequens nullam, et irritam.

§. CXII.

Recensentur consuetudines quaedam a canonibus reprobatae.

Ex hoc principio canonibus plures consuetudines vt corruptelae damnantur, et reprobantur. Sic *in cap.* I. *h. t.* GREGORIVS M. consuetudinem, quae magnum grauamen et prae-

praeiudicium infert ecclesiis, reiicit. In *cap.* 3. *h. t.* reprobatur consuetudo, qua populus in caussis ecclesiasticis sibi ius ferendi sententiam vindicat. In *c.* 4. *h. t.* inualida declaratur consuetudo, qua simplices sacerdotes sibi adrogant ius conferendi sacramenta, quorum collatio ad solos episcopos pertinet, vt sunt confirmatio, ordo etc. In *c.* 5. *h. t.* damnatur consuetudo, qua disrumpitur nexus disciplinae ecclesiasticae, vt aliquis auctoritate solius consuetudinis sine priuilegio non teneatur seruare interdictum ecclesiasticum.

§. CXIII.

Continuatio prioris.

Ex hac eadem ratione in *c.* 7. *h. t.* corruptelae adcensetur illa consuetudo, vi cuius parochus propria auctoritate migrat ab vna ecclesia ad aliam non obtenta prius licentia sui superioris. Item in *cap.* 9. reprobantur consuetudines nouae a capitulo introductae sine consensu episcopi contra consuetudines, et constitutiones adprobatas. In *c.* 10. nulla esse deciditur consuetudo, vt vir, qui bona sua dissipauit, possit expendere bona vxoris, vel vt vxor adultera, si dimittatur, habeat partem bonorum viri. Denique in *c.* 1. *h. t. in VI.* consuetudo, qua quis in eadem ecclesia duas habet dignitates, aut personatus, seu administrationes, aut duo officia.

§. CXIV.

Legitime introducta habet vim legis.

Legitime introducta consuetudo vim legis habet; est itaque instar canonum seruanda *can. 7. dist. XI. can. 6. dist. XII.* a iudice sententiam laturo adtendenda, legemque veterem non modo interpretatur, et firmat, sed et tollit omnino, eique derogat. *can. 3. dist. IV. cap. 8. h. t.* In quibus autem rebus lex nulla est, illa pro lege obseruatur. *can. 4. dist. I.*

§. CXV.

Diuisio consuetudinis.

Hac ratione consuetudo trifariam diuiditur in consuetudinem *praeter legem*, *secundum legem*, et *contra legem*. Sed si dicendum, quod res est, vna est ea, quae *praeter legem* dicitur, quia hac sola ius aliquod introducitur. Illud omnino est euidens, consuetudinem contra legem tam parum esse irrationabilem, quam legem posteriorem, quae priorem abrogat.

§. CXVI.

Effectus clausulae: non obstante consuetudine: bullis pontificiis inseri solita.

Ceterum non raro bullis pontificum, canonibus, et decretalibus inseritur clausula: *nulla obstante consuetudine:* quam ita explicant inter-

terpretes, vt ſaltem immemorialis, quae eſt inſtar priuilegii, ea non obſtante obtineat.

Vid. Engel *h. t. §.* 23.

§. CXVII.

Conſuetudines particulares non continentur ſub generali abrogatione, nec haec pertinet ad futuram.

Qua in re duo ſunt reliqua, quae animaduerſione digna ſunt. Primum, conſuetudines particulares eccleſiarum legitimas ſub generali abrogatione non contineri, niſi expreſſa earundem fiat mentio. Alterum, eandem abrogationem non ad futuram, ſed praeſentem conſuetudinem pertinere.

Cap. 1. *de conſtit. in VI.* quod deſumtum ex confirmatione Iuſtinianei codicis *§. pen. vid.* Cuiacius *lib. XV. obſ. cap.* 37.

§. CXVIII.

Adfinia conſuetudinis ſunt (a) ſtylus curiae.

Species quaedam conſuetudinis eſt *ſtylus curiae*, cuius nomine intelligo *conſuetudinem iudicialem, quae determinat ordinem, et modum procedendi in iudicio obſeruandum.*

Huc igitur referas modum citandi partes, deferendi iuramentum, offerendi libellum, aliasque iudicii

partes, exequendi, de quibus ſingulis ſuo loco exponemus.

§. CXIX.

(b) Ordinatio curiae.

Ab eo differt *ordinatio curiae*, quam voco *modum procedendi in iudiciis iam tum initio principis auctoritate praeſcriptum.* Quum ſtylus curiae ſoli conſuetudini originem debeat: de quo id eſt omnino tenendum, eum ſequi quemque debere, qui in quauis curia receptus eſt. Ceterum ſuperioris praecipue eccleſiaſtici eſt dare operam, vt ne introducatur ſtylus curiae, quo longiores morae iniiciantur cauſis in iudicio terminandis, parteſue moleſtis ambagibus praegrauentur.

Conf. SAMVEL STRYCKIVS *in diſſert. de ſtylo curiae vol. I. diſput.* 23.

§. CXX.

(c) Nec non praeiudicia.

Quemadmodum ex vſu diuerſo procedendi in cauſis agendis naſcitur ſtylus curiae, ita ex cauſarum deciſionibus ſibi ſimilibus oriuntur *praeiudicia*, quae iudicaturis deinceps exemplum praebeant, quod in pari cauſa ſequantur.

CXXI.

Quae probandae consuetudini sufficere possunt.

Quibus quidem praeiudiciis locus esse potest, quum tot latae sibi constanter conformes sententiae, vt sufficere videri possint probandae consuetudini legitime introductae, aut si quo casu ius vel omnino deficit, vel ita saltem ambiguum est, vt perpensis rite causae vtriusque meritis nihil deprehendatur, quod in alterutram partem iudicem mouere queat.

Quo sensu verum est: *rerum perpetuo similiter iudicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere. l.* 38. *de legib.*

§. CXXII.

Monitum.

Ceteroquin *non tam spectandum est, quid Romae factum sit, quam quid fieri debeat. Non enim, si quid non bene dirimatur, hoc et in aliorum iudicum vitium extendi oportet: cum non exemplis, sed legibus iudicandum sit, omnesque iudices veritatem, et legum, et iustitiae sequi vestigia conuenit.*

L. 12. *D. de offic. praesid. l.* 13. *cod. de sent. et interlocut. De iure tradito* consuli potest MELCHIOR CANVS de *locis theologicis*, atque alii passim theologi. De *consuetudine* FRANC. FLORENS, et GONZALEZIVS *in comment. ad h. t.* praeter eos, quos passim laudauimus.

TITVLVS XVII.

DE FILIIS PRESBYTERORVM ORDINANDIS, VEL NON.

TITVLVS XVIII.

DE SERVIS NON ORDINANDIS ET EORVM MANVMISSIONE.

TITVLVS XIX.

DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA ORDINANDIS, VEL NON.

TITVLVS XX.

DE CORPORE VITIATIS ORDINANDIS, VEL NON.

TITVLVS XXI.

DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

TITVLVS XXII.

DE CLERICIS PEREGRINIS.

§. CXXIII.

§. CXXIII.

Transitus.

A iure constituente ad ius constitutum delabimur, cuius tria sunt obiecta; *omne* enim *ius redditur* 1.) PERSONIS 2.) DE REBVS 3.) PER ACTIONES *et* IVDICIA. Hunc ordinem et nos obseruabimus, retenta tamen librorum, ac, quantum licet, titulorum serie, quam in *decretalibus* GREGORII IX. videmus.

§. CXXIV.

Ad IVRA PERSONARVM.

Initium fiat de IVRE PERSONARVM; nam *parum est ius nosse, si personae, quarum causa constitutum est, ignorentur.* §. *vlt.* INST. *de I. N. G. et C.*

§. CXXV.

IRREGVLARITAS *definitur.*

PERSONAE *ecclesiasticae* sunt vel *clerici* vel *laici* (. *P.* 1. §. 144.) Sollicite id semper cauit ecclesia, vt in clericorum ordinem ne admitterentur, nisi qui summi Numinis ministerio digni iudicarentur. Et vero iam inde ab aeuo *Apostolorum I. ad* TIM. *III* 2. constitutae sunt *regulae*, quibus clericorum qualitates determinarentur, a quibus qui alieni sunt, *irregulares* dicuntur. Est quippe IRREGVLARITAS nihil aliud, quam *impedimentum canonicum susce-*

ptionem ordinum ecclesiasticorum, eorumque si suscepti sunt, exercitium directe impediens etiam post poenitentiam.

§. CXXVI.

Diuiditur.

Irregularitatis SPECIES variae sunt, quarum vnam *totalem* vocant, alteram *partialem*. *Illa* est, quae iure cuiusuis ordinis suscipiendi, omnique suscepti exercitio priuat: *haec* autem, quae non omni, sed quodam duntaxat susceptorum ordinum vsu interdicit.

§. CXXVII.

Idem.

Ab hac pendet alia eius diuisio, qua vel *ex delicto*, vel *ex defectu* oriri, non imputando, dicitur. Postremo ratione durationis *perpetua* est, cuius tollendae vna est via dispensatio, et *temporalis*, quae solo temporis lapsu cessat, cuius generis est *defectus aetatis*.

§. CXXVIII.

Irregularitas iuris, non facti est.

Omnes criminum rei olim erant irregulares: collapsa disciplina irregularitas nunquam incurritur, nisi in casibus iure expressis. *Omnis* igitur *irregularitas iuris est, nulla facti*, decernique ab eo potest, qui potestate in eccle-

sia

ſia ferendarum legum gaudet. Vid. *cap.* 18. *de ſent. excomm. in VI.*

§. CXXIX.

Effectus irregularitatis.

EFFECTVS ex ea *duplex* oritur. Et quod *ad ordines* quidem, quum *antecedit*, facultatem adimit omnis ordinis licite ſuſcipiendi; ordinato vero *ſuperueniens*, eum aut *omni ordini ſuſcepti vſu* priuat, ſiquidem ex delicto profecta eſt, aut *eo tantum*, quem defectus impedit, quo clericus laborat. Porro *ratione beneficii* ea irregularitatis vis eſt, vt, qui ea in totum laborat, ei omni beneficiorum executione interdicatur. Quae autem ex defectu eſt, beneficium, quod vſum defectui repugnantem exigit, conferri impediat.

§. CXXX.

Qualis ignorantia excuſet ab irregularitate.

Ignorantia excuſet ab irregularitate nec ne? Puto apte diſcrimen ſtatui inter eam, quae ex defectu, et quae ex delicto proficiſcitur, ita, vt ab ea quidem non excuſet ignorantia; ab hac vero excuſet ea, quae *facti* eſt, non quae *iuris.*

Qui, quum ſe fuiſſe baptizatum neſcit, rebaptizatur, irregularis non fit; facti enim ignorantia iuſta eſt, at ſi ſciens rebaptizetur, tametſi ignoret rebaptizationi adnexam eſſe hanc poenam, quia ius ignorat, irregularitate ſeſe implicat.

§. CXXXI.

§. CXXXI.

Ea tollitur difpenfatione.

Irregularitas tollitur *difpenfatione*, qua poteftate gaudere romanum pontificem nihil ambiguum eft: epifcopis ea *regulariter* negatur perperam. Ceterum de his ita in CONCILIO TRIDENTINO cautum eft: *liceat epifcopis in irregularitatibus omnibus, et fufpenfionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiofum, difpenfare, et in quibuscunque cafibus occultis, etiam fedi apoftolicae referuatis, delinquentes quoscunque fibi fubditos in dioecefi fua per fe ipfos, aut vicarium ad id fpecialiter deputandum in foro confcientiae gratis abfoluere, impofita poenitentia falutari. Idem et in haerefis crimine in eodem foro confcientiae, eis tantum, non eorum vicariis, fit permiffum. feff. XXIV. cap. 6. de reform.*

§. CXXXII.

An profeffio religiofa tollat irregularitatem?

Eluit maculam irregularitatis ex defectu natalium inhaerentem *profeffio religiofa*, id quod ad ordines duntaxat fufcipiendos, non etiam ad dignitates, perfonatus, et alia huiusmodi beneficia obtinenda pertinere iure definitum eft. A quo non abhorret, irregularitatem ex defectu non perpetuo natam ceffare, quum eius

caufa

causa penitus sublata est. Vid. *cap.* I. *et fin. de fil. presbyt.*

§. CXXXIII.

Irregulares I.) EX DEFECTV.

OB DEFECTVM I.) ANIMI *irregularium* in numero censentur I.) *neophyti*, 2.) *clinici*, qui, dum morbo decumberent, baptizati sunt 3.) *bigami*, cuius criminis triplex est genus: *bigamia vera*, quum quis cum duabus successiue matrimonium valide contractum consummauit: *interpretatiua*, quum quis consummat matrimonium cum vxore siue ante, siue post demum ab alio cognitam: et *similitudinaria* ex matrimonio adtentato, consummatoque orta ab eo, qui ob *votum solenne castitatis* illud valide contrahere non potuit. *cap.* I. 3. 4. 5. *et fin. de bigam. non ord. cap.* 2. *et* 4. *de cler. coniug.*

§. CXXXIV.

Recensentur.

Huc pertinent 4.) *non baptizati*, quibus constat, valide conferri ordines non posse. At hi *proprie irregulares* non sunt; priuari enim iure suscipiendi ordines dici non possunt, qui eorum sunt incapaces, quales hi sunt, et *foeminae*. Non satis concinne quidem, sed et his tamen adcensent 5.) *causarum criminalium ministros* 6.) *occidentes*, *mutilantesue* aliquem *facto proprio* etiam in bello defensiuo iusto. Nam

ſi bellum iniuſtum eſt, occidere delictum eſt. *cap. 1. de presbyt. non bapt.* addatur *tot. tit. de homicid. vol. et caſ.*

§. CXXXV.

Idem.

Ex eodem bonorum animi defectu irregulares habentur 7.) *lunatici, doemoniaci, furioſi, illiterati*, qui ſcilicet earum rerum cognitione deſtituuntur, quae ad ordinis ſuſcipiendi officia rite peragenda neceſſaria iudicantur. *diſt. XXXIII. can. 3. et 4. XXXVI. can. 1.*

§. CXXXVI.

Idem.

Porro, II.) quae *ex defectu* BONORVM CORPORIS oriuntur irregularitates, eae reducuntur 1.) *ad corporis integritatem*, atque hac de cauſa ab ordinibus arcentur, *coecus, mutus, manu*, aut *digito* ad frangendam hoſtiam neceſſario *deſtitutus*, atque is, qui prorſus a vino *abſtemius* eſt. Vid. *cap. 2. de cler. aegrot. cap. 6. de corp. vitiat ordin. diſt. XXXVI. can. 1.*

§. CXXXVII.

Idem.

Altera reducitur 2.) *ad ſtructuram corporis non vitiatam;* qua ex cauſa irregulares haben-

bentur omnes ii, qui propter insignem formae, aut corporis deformitatem risum commouere, aut horrorem possunt; cuius generis *pigmaei*, notabilem in modum *gibbosi*, *aure mutilati*, aut *carentes oculo. dist. LV. can.* 13, *arg. cap.* 2. *et vlt. de corp. vitiat. non ord. cap.* 2. *de cler. aegrot.*

§. CXXXVIII.

Idem.

Tertia nascitur 3.) *ex defectu bonae valetudinis*, ob quem ab ordinibus interdicitur *leprosis*, *paraliticis*, *epilepticis*, *morbo comitiali* laborantibus. Quibus postremo 4.) adcensent eos, qui *aetatem* pro singulis ordinibus praescriptam nondum adtigerunt. *caus. VII. q. II. can.* 1. *et* 2. *arg. cap.* 3. *et* 4. *de cler. aegrot.*

§. CXXXIX.

Idem.

Porro de ea dicamus irregularitatis specie, quam III.) Ex DEFECTV BONORVM, quae FORTVNAE adpellant, solent derivare. Ad quam speciem referunt 1.) *non legitime natos.* Atque olim quidem defectus natalium a criminis suspicione alienus neminem excludebat. Hodie alio iure vtimur, ea ex causa, quod metus sit, ne paternae sint incontinentiae imitatores. Horum in numero habentur *nati ex coniunctione sacerdotis*, aut *religiosi* cum vxore

re legitime ante ſuſceptos ordines ducta. Quid? quod eandem inhaerere maculam exiſtiment, *expoſitis*, de quibus tamen eſt, quod ambigas? cur enim ab eccleſia alienum ſit, in dubio praeſumere id, quod eſt magis humanitati conſentaneum? Vid. *diſt. LVI. can.* 2. *ſeqq. cap.* 1. 14. *de fil. presbyt. cap.* 1. *eod. in VI.*

§. CXL.

Idem.

2.) *Seruos*, quibus adcenſere poſſis *adſcriptitios*, et qui hos referunt parentes, *originarios*, homines item *proprios*, atque *curiales*: qui ad ordines ſuſcipiendos non admittuntur, niſi impetrato eius, cuius intereſt, conſenſu, anni vnius lapſu firmato, aut expreſſo literis. Quod ſi quem ſine hoc ordinari contingeret, is, niſi diaconus eſſet, aut presbyter, in ſeruitutem reuocari poterat. Vid. *can. apoſt.* 81. CONCIL. TOLET. I. *can.* 10. *diſt. LIV. can.* 2. 5. 10. 12. 20. 21. *tot. tot. de ſeru. non ord.*

§. CXLI.

Idem.

3.) Huc referunt *eos, quibus deeſt ſufficiens patrimonium*, aut *beneficium* ad vitam pro dignitate ſtatus honeſte ſuſtentandam, aut ſaltem *cautio* de ſuppeditanda congrua ſuſtentatione, et demum 4.) *obligatos ad ratiocinia* 5.) *famaeque iacturam paſſos*, ſeu id iure, ſeu vi-

vitae turpi genere. Vid. CONCIL. TRID. *Seß. XXI. cap. 1. de reform. cap. vn. de oblig. ad ratiocin. cap. 87. de reg. iur. in VI.*

§. CXLII.

Irregulares II.) EX DELICTO.

Enimuero *ob delictum* quoque *consummatum*, idque *externum* atque in *iure expressum* fieri quem irregularem superius docui, quos inter 1.) referendi sunt *seditionarii*, *vsurarii*, *haeretici*, *apostatae*, *schismatici*, horumque filii ad secundam vsque generationem, quam tamen disciplinam in Germania, quod ad eos, quorum est tolerata religio, non seruari palam est. Vid. *dist. L. can. 69. arg. cap. 9. 15. de haeret. arg. cap. 8. §. 2. eod. in VI.*

§. CXLIII.

Recensentur.

Eandem ob causam vitio laborare sancitum est 2.) *rebaptizantes* alium, aut se *rebaptizari passos*, et 3.) *delinquentes circa ordines*, quod fieri potest a) eos *male suscipiendo*, veluti in excommunicatione maiori, aut sacros ordines eodem die, duobusue, sed continuato ieiunio, aut furtiue, simoniace, per saltum, ab episcopo, qui renunciauit loco, et dignitati, ab excommunicato, haeretico, schismatico, interdicto, suspenso, deposito, degradato. b.) *male exercendo*: quo crimine tenetur is, qui ministrat in ordine non suscepto. c.) *violando cen-*

furam, vt, qui exercet ordinem excommunicatus, interdictus, suspensus, quiue celebrat loco interdicto. *cap.* 2. *de apostat. et reit. bapt. cap.* 32. *de sent. excomm. cap.* 13. *de temp. ord. cap.* 1. *de eo, qui furt. ord. susc. cap.* 1. *de ord. ab episc. qui renunciau. episc. cap. vn. de cler. per salt. prom. cap.* 1. *de cleric. non ord. ministr. cap.* 34. *de cler. excomm.*

§. CXLIV.

Idem.

4.) Denique huc referunt *occidentes*, aut *mutilantes* quempiam *sine iure*; ipse quis id patrauerit, an per alium principaliter, an concurrendo ad factum alienum, nihil refert: nisi homicidium casu factum sit, aut necessariae defensionis causa. Irregulares quoque sunt, *qui semet ipsos membro mutilarunt*, parteue membri, aut sponte mutilari passi sunt. Qui vi aliena adacti, aut morbi arcendi causa damno eo adfecti sunt, sicut culpa, ita et poena immunes sunt, *cap.* 10. 11. 12. et 13. *de homicid.* CONCIL. TRID. *sess. XIV. de reform. clem. vn. de homicid.*

Vid. ZECH. *hierarch. eccles. tit. II.* VAN ESPEN. *p. II. sect. I. tit. X.*

TI-

TITVLVS XI.

DE TEMPORIBVS ORDINATIONVM ET QVALITATE ORDINANDORVM.

TITVLVS XII.

DE SCRVTINIO IN ORDINE FACIENDO.

TITVLVS XIII.

DE ORDINATIS AB EPISCOPO, QVI RENVNCIAVIT EPISCOPATVI.

§. CXLV.

ORDINATIO *definitur.*

Qui caret irregularitate, in clericum adſumitur, et ordinatur; quem in finem non ſufficit ſimplex et nuda perſonae cuiusdam habilis ad munia eccleſiaſtica obeunda deſtinatio, ſed ab eccleſia catholica ſolennis ORDINATIO requiritur, quae, ſi *latius* ſumatur, eſt *actus, quo ſub certis cerimoniis ac ritibus perſonae habili per legitimam auctoritatem poteſtas clericalis conceditur.* (*P. I. §. 144.*)

ORDINATIO *ſtrictius* accepta, et quatenus ſolis ordinibus ab ipſo Chriſto inſtitutis conuenit, eſt *verum Sacramentum nouae legis*, de quo in LIB. III. *decretal.* nobis ſermo erit.

§. CXLVI.

Minister ordinarius ordinationis est episcopus.

Ordinationis huius MINISTER *ordinarius*, seu qui ea defungi possit vi officii sui, atque muneris, cui praeest, est *episcopus consecratus*, id quod non sacrae modo scripturae luculenta testimonia, sed et constans, ac perpetua ecclesiae traditio ita contestatum praestant, vt, nisi temere, ambigi nequeat. Vid. ACT. *VI.* 6. *XIV.* 22. *ad* TIT. *cap. I. v.* 5. *dist. LXVII. can.* 2. *dist. V. can.* 4. *de consecr* CONCIL. TRID. *sess. XXIII. cap.* 4. *et* 7. *de Sacram. ord.* Add. CAPITVLARIA *reg. francorum l. V. c.* 37. *l. VI. cap.* 81. *et* 284. *l. VII. c.* 14.

§. CXLVII.

Valet ordinatio ab episcopo haeretico, suspenso, vel renunciato facta.

Quia vero in iis, quae pendent a potestate diuinitus tradita, valide exercendis, nihil impedit, aut defectus fidei, aut ministri improbitas, prohibitioue ecclesiae, inde colligunt, *valere* ordines ab episcopo consecrato collatos, tametsi haereticus sit, alienusue aut suspensus, vel loco simul et dignitati renunciauerit.

§. CXLVIII.

Non etiam licite fit.

At vero *licite* quoque vt conferantur ordines, suscipianturque, *episcopum* necesse est esse

esse *catholicum*, in communione ecclesiae romanae constitutum, simulque eius, qui ordinari desiderat, *proprium*. CONCIL. TRID. *sess. XIV. c. 2. de reform.* et *sess. XXIII. c. 8. de reform. cap. 3. de temp. ordin. in VI.*

§. CXLIX.

Ex quatuor causis episcopus dicitur proprius.

Enimuero *proprius episcopus* quatuor ex causis dicitur, quarum prima est causa *originis*, episcopus scilicet loci, in quo domicilium habuerint ordinandi parentes, quum is nasceretur. Altera *domicilii*, siue eius loci episcopus, quo quis larem, rerumque ac fortunarum suarum sedem constituit non discessurus, nisi quid auocet. Tertia *beneficii*, qua ratione proprium vocant episcopum ecclesiae, in qua quis beneficio fruitur ad congruam vitae sufficienti sustentationem. Quarta denique *familiaritatis*, qua quis proprium nanciscitur episcopum eum, quocum trium annorum interuallo commoratus spem habet beneficii propediem adipiscendi.

§. CL.

Isque licite etiam ordinat.

Id nihil refert, ab eodem omnes ordines episcopo suscepti sint, an non: potest enim vnus ordo ab hoc, alter ab alio episcopo suscipi, modo quisque sit proprius. Quamquam

ſcriptum ſit, irreuerentiae maculam ſibi illinere eum, qui, quum ordinem vnum a S. pontifice accepiſſet, ab alio ſeſe, non impetrata venia, patitur ordinari. *cap.* 12. *de tempor. ordin.* INNOCENT. XII. *conſtitut.* SPECVLATORES.

§. CLI.

COLLATOR *ordinum* EXTRAORDINARIVS.

Haec de ordinis collatore *ordinario*, cui opponunt *extraordinarium*, qui ordines confert non officii ſui, quo fungitur, et ſtatus, quo eminet, poteſtate, ſed aut *delegatione*, aut ob *indultum priuilegium*. Et ſunt, qui alterutra harum cauſarum indigent, vt *licite;* ſunt autem etiam, qui, vt *valide* ordinationi ſeſe ingerant.

§. CLII.

1.) *Epiſcopus alienus.*

Epiſcopus namque *alienus*, vt ne in conferendis ordinibus iniurius ſit, neceſſe eſt, vt ordinandus vel priuilegio apoſtolico munitus ſit ſuſcipiendi a quocunque epiſcopo ordines, aut *literas*, quas *dimiſſorias* vocant, a ſuo epiſcopo acceperit, quarum nomine intelligo *licentiam ſcripto expreſſam adeundi alium epiſcopum recipiendi ordinis cauſa.* CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXIII.* c. 8. *et* 10. *de reform.*

§. CLIII.

§. CLIII.

Receptis literis dimissoriis.

Dimissorias concedit episcopus proprius vtvt nondum consecratus. Eas dandi potestatem sede vacante habet etiam capitulum ecclesiae cathedralis, verum tamen intra annum a die vacationis numerandum et non aliis, quam arctatis ratione beneficii ecclesiastici. CONCIL. TRID. *sess. VII. c.* 10. *de reform.*

§. CLIV.

Quae sit poena in episcopum absque huiusmodi literis ordinantem, et ordinatum statuta?

Episcopus aduersus haec siquid commiserit, suspenditur a conferendis ordinibus; *minus recte ordinatus* ab exercitio ordinis non secundum canones suscepti: *capitulum* sua abutens potestate interdicto subiicitur. *cap.* 2. *de temp. ord. in VI.* CONCIL. TRID. *sess. XXIII. c.* 8. *de reform.*

§. CLV.

II.) *Abbas vel presbyter quoad minores.*

Ad eos veniamus, quos vt *valide* ordinent, priuilegio egere, aut delegatione monui, de quibus ita plerisque placet, vt *primam tonsuram*, *ordinesque minores* etiam a presbytero conferri posse statuant, interueniente scilicet

ſummi pontificis conceſſione. Quod in cardinalibus presbyteris, quod ad eccleſias ſui tituli, et abbatibus, ſacerdotibus et benedictis mitrae, annuli, et baculi paſtoralis vſum habentibus quoad ſuos ſubditos regulares ita iure eſſe receptum ſatis conſtat. *cap.* 11. *de aetat. et qual. praeſ. cap.* 3. *de priuil. in VI.* et CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXIII. c.* 16. *de reform.*

§. CLVI.

Maiores confert ſolus epiſcopus.

Id quod ad *ſubdiaconatum* extendunt non pauci. Enimuero in ordinibus, qui hoc maiores ſunt, *diaconatu*, et *presbyteratu* conferendis eiuscemodi priuilegia adhuc eccleſia non vidit, magisque vero conſentaneum arbitrantur plerique, non eſſe vllum in his priuilegio locum.

Cf. BENEDICTVS XIV. P. *de ſynodo dioeceſ. lib. VII. cap.* 24. *§.* 5. *ſeqq.* VAN ESPEN. *p. II. tit. IX.* ZECH. *l. c. tit. VI.* Vid. CAPITVLARIVM *lib. VI. cap.* 284.

§. CLVII.

Tempus conferendi ordines minores.

Ordinationem oportet eſſe *canonicam*, id eſt, eo modo factam, quo eam fieri canonibus praecipitur. Et de *tempore* quidem ordinationis primo exponere huius eſt loci, de quo hoc eſt primo loco tenendum: vt *prima tonſura* quolibet anni die, ac hora conferri poſſit. *Minores*

nores vero ordines diebus dominicis, ac quolibet alio die festo duplici, etiam extra solennia missarum, matutino tamen tempore. Quod si episcopo aequum, atque ecclesiae vtile visum fuerit, nihil impedit, quo minus eodem die plures simul, atque etiam omnes ordines minores cum tonsura conferat. CONCIL. TRID. *sess. XXIII. c. XI. de reform.* PONTIF. ROM. *tit. de ordin. cap.* 1. 3. *de temp. ordin.*

§. CLVIII.

Et maiores.

At de *maioribus*, quos adpellamus, conferendis ordinibus *certa* sunt *anni tempora* constituta: sabbata nimirum in ieiuniis quatuor temporum, sabbatum ante dominicam passionis, et sabbatum sanctum, adeo, vt extra haec tempora ordinans canonica sit disciplina corrigendus, ordinatusque ab exercitio ordinis suspendendus sit, imo ipso iure fiat suspensus, nisi alteruter eorum eam in rem priuilegio sit munitus. Vid. *dist. LXXV. can.* 7. et *cap.* 2. 3. 8 *de temp. ordin.* PIVS II. *constit.* CVM EX SACRORVM.

§. CLIX.

Legitimum regulariter.

Cuius eam esse vim plerique omnes canonum interpretes docent, vt facultas extra tempora ordinandi propemodum vnice ad priuile-

gium a pontifice ſeu ordinanti, ſeu ordinando conceſſum redigi videatur.

Cuius generis priuilegium romani pontifices epiſcopis Germaniae in liminum apoſtolicorum viſitatione indulgere ſolent.

§. CLX.

Obſeruandum eſt.

Quidquid horum ſit, ſiue receptis ab ecclesia temporibus, ſiue extra ea, dominico, aut feſto die ſacri conferantur ordines, id eſt tamen perſpicue definitum, peragendam hanc eſſe cerimoniam intra miſſarum ſolennia, ſi de *ſacris* ordinibus agatur.

Quare quum olim ſabbato ſancto veſperi celebraretur ordinatio, eius autem temporis miſſas nocturnas PIVS V. prohibuerit, conſequens eſt, etiam ordinationes fieri ſolitas prohiberi. Epiſcoporum conſecratio quouis anni tempore fit, die dominico tamen, aut natalitio apoſtolorum. Indultu pontificis quaelibet alia dies feſtiua ſufficit. PONTIFICAL. ROM. *tit. de conſecr. elect. in epiſ.*

§. CLXI.

Seruatis INTERSTITIIS.

Enimuero non modo certi dies in conferendis ordinibus obſeruandi ſunt, ſed et *temporum* quaedam *interualla*, quae ſolemus INTERSTITIA adpellare. Inter ordines minores, et ſubdiaconatum, atque vnum, et alterum ſacrum ordinem ſuſcipiendum anni vnius ſpatium interce-

intercedat neceſſe eſt, non *mathematice*, ſed *eccleſiaſtice* computandi. CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXIII. cap.* 11. 13. *et* 14. *de reform.*

§. CLXII.

In quibus diſpenſari poteſt.

Facultas diſpenſandi in interſtitiis, modo iuſta ſubſit cauſa, epiſcopo quidem conceſſa eſt, cuius tamen non eſt poteſtas ita coarctandi interſtitia, vt cum minoribus ſubdiaconatum, aut plures ordines maiores eidem vna die, dieue ſabbati hunc, alterum die dominico continuato ieiunio conferat. *cap.* 13. 15. *de temp. ordin. cap.* 2. *de eo, qui furtiu. etc.*

§. CLXIII.

Saltus eſt prohibitus.

Porro illud quoque ſummopere cauendum eſt, vt ne quis *per ſaltum* promoueatur, ſed ſinguli ordines pro ſuo quisque gradu, dum ad ſupremum perueniat, conferantur. Quod ſi enim quis ordine inferiore praetermiſſo in ſuperiori initiaretur, ille ſupplendus foret. Sane epiſcopatus, neglecto ſacerdotio, receptus iure nullus haberetur. *cap. vn. de cler. per ſalt. prom. cap.* 10. *de exceſſ. praelat.*

Ordinatus per ſaltum ſuſpenditur ab vſu ordinis temere ſuſcepti, irregularitatemue co trahit, ſi in ordine omiſſo aut per vitium ſuſcepto miniſterio fungatur prius, quam aut defectus ſuppleretur, aut

aut abſolueretur a ſuſpenſione. CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXIII. c.* 14. *de reform.*

§. CLXIV.

Locus conferendorum ordinum eſſe debet I.) PROPRIVS.

LOCVS in quo ſecundum canones conferendi ſunt ordines, debet eſſe *proprius*, *ſacer*, *publicus*. PROPRIVM autem, quum dico, id de ordinante intelligo, ne alienos inuadat limites. Equidem vidit ſaepius antiquitas, ac probauit etiam ordinationes extra dioeceſim peractas, ius tamen ordinarium conſtans obtinuit: nulli epiſcopo licere, cuiusuis priuilegii praetextu pontificalia in alterius dioeceſi exercere, niſi de ordinarii loci expreſſa licentia: ſecus ſi quid factum eſſet, et epiſcopus ab exercitio pontificalium, et ordinatus ab executione ordinis iure ipſo ſuſpenduntur.

§. CLXV.

Idem.

De *locis exemptis* traditur, non poſſe epiſcopos, etſi ea ſint limitibus eccleſiae ſuae incluſa, celebrare ordinationes, praecipue conuocato populo, interque miſſarum ſolennia, niſi venia a praelato eccleſiae illius impetrata, quod puto ratione haud deſtitui: quemadmodum nec illud, quod praelati, vtut exemti, ſine conſenſu ordinarii, in cuius dioeceſi locus ſitus

eſt,

est, nequeant alieno episcopo ordinandi facere potestatem. Vid. *caus. XVIII. q. II. can.* 6.

§. CLXVI.

II.) Sacer.

Deinde locum, in quo faciendae sunt ordinationes, sacrvm esse oportere diximus: id quod prima quidem tonsura, ordinesque, quos vocant, minores non exigunt, illi tamen, quos *sacros* diximus, ex more iam veteribus recepto, non nisi in ecclesia conferendi sunt. (*sup.* §. 160.)

§. CLXVII.

III.) Pvblicvs.

Postremo locum esse pvblicvm necesse est. Quam quidem ob rem ecclesia cathedralis deligi solet, conuocatis eius ecclesiae canonicis, quippe qui in regenda dioecesi episcopo sint a consiliis. Mos hic haud dubie ex antiqua ecclesia retentus est, quae praesente populo, et clero ordinationes fieri voluit. Quod si ordinationem in alio dioecesis loco celebrari episcopo visum est, adsistente clero, digniorem semper ecclesiam adiri volunt.

Concil. trid. *sess. XXIII. c.* 8. *de reform.* Animaduerte, hanc concilii praeceptionem ad ordines minores haud pertinere, quos nihil prohibet quocunque loco congruo conferri.

§. CLXVIII.

§. CLXVIII.

Ordinationi praemittitur EXAMEN.

Munus clericorum quanto eſt excellentius, tanto adcuratior ſit in ſeligendis ad id perſonis diligentia. Quapropter conſtitutum eſt, vt *nullus ordinetur clericus, niſi probatus fuerit praeuio examine epiſcoporum, et populi teſtimonio. diſt. XXIV. can. 2. et 6. et diſt. LXI. can. 5.* CAPITVLARIVM *lib. V. c. 37.*

§. CLXIX.

PRIMVM.

Fit autem triplicis ordinandorum examinis in iure canonico mentio, adpellaturque SCRVTINIVM *in ordine faciendum*, quorum *primum* in eo ſitum eſt, vt ii quidem, qui ad minores ordines promouendi ſunt, bonum habeant a parocho, et magiſtro ſcholae, in qua educantur, vitae morumque teſtimonium; de iis vero, qui maioribus ordinibus animum adplicuerunt, cautum eſt, vt per menſem ante ordinationem epiſcopum adeant, qui parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, vt nominibus ac deſiderio eorum, qui volunt promoueri, publice in eccleſia propoſitis de ipſorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus, et vita a fide dignis diligenter inquirat, et literas teſtimoniales, ipſam inquiſitionem factam continentes ad ipſum epiſcopum quam primum transmittat. Sed huius inquiſitionis

non

non eadem eſt in ſingulis dioeceſibus forma. CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXIII. c. 5. de reform.*

§. CLXX.

SECVNDVM.

De altero ita eadem ſynodus antiquorum canonum veſtigiis inhaerendo decreuit, *vt quando epiſcopus ordinationem facere diſpoſuerit, omnes, qui ad ſacrum miniſterium accedere voluerint, feria quarta ante ipſam ordinationem, vel quando epiſcopo videbitur, ad ciuitatem euocentur. Epiſcopus autem ſacerdotibus, et aliis prudentibus viris, peritis diuinae legis, ac in eccleſiaſticis functionibus exercitatis, ſibi adſcitis, ordinandorum genus, perſonam, aetatem, inſtitutionem, mores, doctrinam, et fidem diligenter inueſtiget, et examinet.* CONCIL. TRID. *cit. ſeſſ. c. 7. de reform.*

Add. *can. 5. diſt. 24.* VAN ESPEN. *commentar. in can. cit.*

§. CLXXI.

A quo quidam ſunt exemti.

Neminem epiſcopo ſub comminatione poenae arbitrariae abſque hoc examine ad ordines admittere fas eſt, niſi ſit eorum aliquis, de cuius ſibi dignitate conſcius eſt, aut aduena, ſuo iam probatus epiſcopo, literiſque dimiſſoriis inſtructus ordinari poſtulet. Exemit TRIDENTINA SYNODVS etiam praeſentatos, electos,

ctos, seu nominatos ab vniuersitatibus, seu collegiis generalium studiorum. *sess. VII. cap.* 13. *de reform.* valetque id priuilegium, nisi quatenus eidem *sess. XXIV. c.* 18. *de reform.* derogatum esse videtur.

§. CLXXII.

Quae sit poena omissionis huius examinis.

Nouerint autem ordinandi, officii esse sui, defectum, si quo a suscipiendis ordinibus arceantur, candide profiteri, quo dispensationem impetrent. Nefas enim muneribus ecclesiasticis obrepere aduersus ecclesiae voluntatem. Quo circa etiam episcopi proposita excommunicationis poena edicere solent, ne quis contra interdictum ecclesiae ordinationi sese submittat. Quo spreto si quis temere ordinari se passus est, deprehenso vitio deponi iubetur. *dist. LXXXI. can.* 4. 5. *cap.* 20. *de elect. dist. L. can.* 55.

§. CLXXIII.

TERTIVM *examen.*

Postremum in ipso ordinationis actu, quod ad eos, qui diaconi, aut presbyteri ordinandi sunt, institui solet. Nimirum episcopo de dignitate eorum interroganti archidiaconus olim, hodie adsistens respondet, eos, quantum humana fragilitas nosse sinit, dignos esse, qui huic officio admoueantur. Quod quidem testimo-

monium posse ab eo perhiberi, modo ne sciat eos esse indignos, iure sancitum est *cap. vn. de scrut. in ord. fac.* vid. PONTIF. ROM. *tit. de ord. diacon.* et *tit. de ord. presbyt.*

§. CLXXIV.

Ad examen secundum pertinet inquisitio de TITVLO *ordinandi.*

Perpetuus vsus, tum scripti canones semper exigebant, vt clerici non nisi ad ministerium certae ecclesiae, ex cuius reditibus sustentandi essent, ordinarentur. Imo CONCILIVM CHALCEDONENSE *can. VI. absolutas* ordinationes omnino irritas declarare non dubitauit, quae quum per abusus tamen irrepsissent, cautum est, vt episcopus, si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitae percipiat, in diaconum vel presbyterum ordinauerit, tamdiu ei necessaria subministret, donec in aliqua ecclesia conuenientia ipsi stipendia adsignet. *cap.* 4. 16. 23. *de praeb.*

§. CLXXV.

Idem.

Nouissime CONCILIVM TRIDENTINVM *sess. XXI. cap.* 2. *de reform.* statuit, ne quis deinceps clericus *secularis*, quamuis alias sit idoneus moribus, scientia et aetate, ad *sacros* ordines promoueatur, nisi prius legitime constet, eum *beneficium* ecclesiasticum, quod sibi ad vi-

ctum honeste sufficiat, pacifice possidere. *Patrimonium* vero vel *pensionem* obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos episcopus iudicauerit adsumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum.

Pensionis, de qua tridentinum loquitur, vices subire videmus *titulum mensae*, quo sustentatio promittitur clerico, donec ad beneficium ecclesiasticum promoueatur. *Regulares* porro vel alendi sunt in monasteriis, vel *ad titulum paupertatis* ordinantur. PIVS V. *constitut.* ROMANVS. *vid.* ZECH. *loc. cit. tit.* 8. *et* 11.

TITVLVS VIII.

DE AVCTORITATE ET VSV PALLII.

TITVLVS XV.

DE SACRA VNCTIONE.

TITVLVS XVI.

DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

§. CLXXVI.

Ordinationum RITVS *et hierarchiae* GRADVS *explicantur.*

Praeterquam, quod, prohibita ordinatione per saltum, *gradatim* in hierarchia et clericatu

ricatu adſcendendum ſit, (ſup. §. 163.) ſolennis etiam *ordinationum forma* in ordinibus conferendis ſeruanda eſt. (ſup. §. 145.) Illos gradus, eorumque ſubordinationem: has porro ſolennitates pro ordinum et gradum diuerſitate varias nunc explicabimus.

Presbyteri et *epiſcopi*, cum ordinantur, *oleo ſacro* inungi ſolent. *cap. vn. de ſac. vnct.* quare *titulum de ſacra vnctione* huc retulimus. Etenim *vnctio ſacra*, quae et *extrema* adpellatur, eſt verum nouae legis ſacramentum, de quo in LIB. III. *decretal.* dicendi locus erit, quo pertinet materia de ſacramentis ſingulis in ſpecie, et omnibus generatim. Ceterum adnotare hic liceat, *ſacramentum ordinationis* cum baptiſmo, et confirmatione in eo conuenire, quod iterari nequeat ob characterem, vt aiunt, quem animae indelebilem imprimit. Cum vero inualida fuerit, aut ſaltim dubia ordinatio, eam repeti placuit, *partim quod reiterari oporteat, quod male actum, partim quod reiteratum non cenſeatur, quod an collatum ſit, dubitatur. cap. vn. de ſac. vnct. cap. 1. 3. de ſacram. non iter.*

§. CLXXVII.

I.) TONSVRA.

De PRIMA TONSVRA initium faciamus, quae eſt *actus ſolennis, quo quis clericorum numero adſcribitur, ad ſacros ordines praeparatur, et ad obtinenda beneficia eccleſiaſtica idoneus efficitur.* Ad eam requiritur 1.) vt quis ſuſceperit ſacramentum confirmationis. 2.) vt edoctus fuerit fidei rudimenta. 3.) vt legere et ſcribere ſciat. *Aetas certa* nullibi praeſcripta eſt, ſed ex dictis requiſitis determina-

ri debet. CONCIL. TRIDENT. *ſeſſ. XXIII. cap. 4. de reform.*

§. CLXXVIII.

RITVS, *quo ea confertur.*

RITVS, quo conferri prima tonſura ſolet, his fere continetur. 1.) vt epiſcopus extrema capillorum incidat *can.* 7. *XII. q. I.* quae inter 2.) initiandus haec: *Dominus pars haereditatis meae, et calicis mei: tu es, qui reſtitues haereditatem meam mihi.* Tum porro 3.) epiſcopus ſuperpelliceo lineo eum induit, inquiens: *Induat te Dominus nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia, et ſanctitate veritatis.* Poſtremo 4.) variis ad Deum fuſis precibus hortatur detonſos, ne priuilegiis ſtatui clericali conceſſis abutantur, habituque decoro, bonis moribus, atque operibus, Deo vt placeant, ſedulo, conſtanterque adlaborent.

§. CLXXIX.

II.) ORDINES MINORES.

ORDINES MINORES in eccleſia ſunt *quatuor. (P. I. §. 147. 148.)* Eorum quasdam functiones hodie paſſim peragunt laici: quasdam clerici in maioribus conſtituti. Ad eos ſuſcipiendos itidem *aetas certa* per canones non eſt determinata; requiritur tamen, vt *minoriſta* latinam linguam intelligat, atque ſpem maio-

maioribus ordinibus dignam oſtendat. CONCIL. TRIDENT. *ſeſſ. XXIII. cap.* II. *de reform.*

§. CLXXX.

1.) *Oſtiariatus.*

Infimus inter minores ordines eſt OSTIARIVS, in quo tradendo vtitur epiſcopus velut ſymbolo clauibus eccleſiae, cui eas dextra tangenti ait: *ſic age, quaſi Deo redditurus rationem pro iis rebus, quae his clauibus recluduntur.* Traditur eidem praeterea funis campanae ab oſtiario pulſandae.

§. CLXXXI.

2.) *Lectoratus.*

Oſtiarium proxime antecedit LECTOR, gradu quidem ille ſuperior, ſed plerumque minor aetate: cuius ordinis conferendi ritus eo fere continetur, vt epiſcopus eisdem codicem tradat dicens: *Accipite et eſtote verbi Dei relatores, habituri, ſi fideliter, et vtiliter impleueritis officium veſtrum, partem cum iis, qui verbum Dei bene adminiſtrauerunt ab initio.*

§. CLXXXII.

3.) *Exorciſtatus.*

Ab hoc gradu ad ordinem EXORCISTARVM adſcenditur, quorum eſt praecipuum munus ex-

expulſio daemonum. Eum in finem eis epiſcopus librum exorciſmorum tradit haec adnectens: *Accipe, et commenda memoriae, et habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſiue baptizatos, ſiue catechumenos.* vid. PONTIF. ROM. *tit. de ordin. exorciſt.*

§. CLXXXIII.

4.) *Acolythatus.*

Supremum minores inter ordines locum obtinent ACOLYTHI, de quorum ordinatione in PONTIFICALI ROMANO haec referuntur: traditur eis candelabrum extincta candela: porro vrceolus vacuus ad ſuggerendum vinum, et aquam in euchariſtiam ſanguinis Chriſti. vid. CONCIL. CARTHAGIN. *IV, can.* 6. 8. 9. 90. 92.

§. CLXXXIV.

III.) ORDINES MAIORES, *et* I.) *Subdiaconatus.*

Ad eos progrediamur, quos hodie SACROS ORDINES vocant: in quibus SVBDIACONATVS poſtremum tenet locum: in cuius ordinis collatione ſeruandus hic ritus in PONTIFICALI ROMANO praeſcriptus. Facta in principio admonitione de oneribus cum hoc honore connexis epiſcopus eis calicem tradit vacuum, impoſita patena itidem vacua ſubiungens: *Videte, cuius miniſterium vobis traditur, ideo vos admoneo, vt ita vos exhibeatis, vt Deo placere poſſitis.* Tum ab archidiacono eis vrceoli cum

vino

vino et aqua traduntur: ab episcopo vero recitatis quibusdam precibus, indutisque eis amictu, manipulo, et tunica liber epistolarum traditur: *Accipite librum epistolarum, et habete potestatem legendi eas in ecclesia sancta Dei tam pro viuis, quam pro defunctis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Ad subdiaconatum annus aetatis XXII. saltem inchoatus exigitur.

§. CLXXXV.

2.) *Diaconatus.*

Ritus, quo Diaconorum peragitur ordinatio, antiquam ecclesiae disciplinam praesefert. Etenim praemisso, de quo superius, scrutinio, episcopus populo denunciat ordinari postulantes, et cuique de illo potestatem facit indicandi, si quid sit, quod in aliquo eorum argui mereatur. Quod si horum nihil fiat, tum eum expositis ordinis huius officiis, fusisque variis precibus episcopus, isque solus manum imponit dicens: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, et ad resistendum diabolo, et tentationibus eius in nomine Domini.* Tum eum adhibitis piis formulis stola induit, atque dalmatica, librumque euangeliorum tradens inquit: *Accipe potestatem legendi euangelium in ecclesia Dei, tam pro viuis, quam pro defunctis in nomine Domini.*

Ad diaconatum requiritur, vt promouendus adtigerit annum XXIII. aetatis concil. trident, *sess. XXIII. cap.* 12. 13. *de reform.*

§. CLXXXVI.

3.) *Presbyteratus.*

Atque hi duo ordines e maioribus ad *ministerium* pertinent In *sacerdotio* sunt PRESBYTERI et EPISCOPI. Illi ab aetate et senio, vtrique a sacrificando nomen habent. *can.* I. *dist. XXI.* Vt quis adsumatur ad presbyteratum praeter alia requiritur, vt annum aetatis XXV. iam inchoauerit. CONCIL. TRID. *sess. XXIII. cap.* 12. 14. *de ref.*

§. CLXXXVII.

RITVS, *quo confertur.*

RITVS, quo ordinari solet presbyter, in his praecipue consistit, vt 1.) facta ab episcopo ordinandorum denunciatione 2.) vtramque manum singulis imponat, quod idem omnes, qui adsistunt, sacerdotes faciunt: tum 3.) porro cum episcopo reliqui sacerdotes manus extendunt super eos, precibusque ad Deum fusis exorat his dona coelestia. Addit 4.) alias preces, interque eas cuique stolam pectori adaptat in modum crucis, atque casulam imponit.

§. CLXXXVIII.

Describitur.

Quibus peractis 5.) oleo catechumenorum singulis inungit manum vtramque dicens: *Conse-*

ſecrare, et ſanctificare digneris Domine manus iſtas per iſtam vnctionem, et noſtram benedictionem, vt, quaecunque benedixerint, benedicantur, et quaecunque conſecrauerint, conſecrentur, et ſanctificentur in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. 6.) Ita inunctis tradit calicem cum vino, et aqua, patenamque impoſita eidem hoſtia ſubiungens: *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, miſſasque celebrare tam pro viuis, quam pro defunctis in nomine Domini.* Qua ſibi facta poteſtate mox in ipſo ritu ordinationis cum epiſcopo ſacrum faciunt.

§. CLXXXIX.

Idem.

7. Sumta euchariſtia profeſſionem fidei faciunt, recitato palam ſymbolo Apoſtolorum. 8.) Mox epiſcopus ambabus manibus capitibus ſingulorum impoſitis ait: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, et quorum retinueris, retenta ſunt.* 9.) Poſtremo ſibi, aut cuique ordinario reuerentem iniungit obedientiam, datoque pacis oſculo abire patitur. Vid. PONTIFICALE ROM. *tit. de ord. presbyt.*

Non hic repetam patres, nec concilia antiquiſſima, a quibus ordinum hi gradus traduntur. Vel vnum concilium CARTHAGINENSE IV, cui S. Auguſtinus interfuit inter epiſcopos ſatis eſſe poterit, quo non modo gradus hi ſeptem ordinum, nomina, et munia, ſed et ſingulorum ordinationes ritusque, quibus ab epiſcopo ſinguli conſecrandi ſint *cap.* 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *et* 9. praeſcribuntur.

tur. ap. EMMANVEL SCHELESTRATE *in tract.* DE ECCLESIA AFRICANA *dissert. II. cap. VII.*

§. CXC.

De consecratione et vnctione principum.

Enimuero *reges* quoque, atque *imperatores* consecrari mos est adhibita vnctione, qua tamen nullam eis potestatem spiritualem conferri satis consentitur. Characterem, vt aiunt, indelebilem eis imprimi negant, quod ego facile fero, sed id negari ideo, ne reges, imperatoresue deponendi potestas adimatur pontifici, id vero nimis esse puto subtile, quemadmodum plus iusto vident acutius illi, qui ex arbitrario hoc ritu ius reges constituendi romano pontifici quaesitum esse arbitrantur.

Ceterum, quod *cap.* 1. *de sacr. vnct. vers. vnde in veteri* prohibet, ne quis regum vngatur in vertice, eo quod haec praerogatiua soli papae debeatur, ei non minus vetus francorum, quam recens Germanorum praxis repugnat. Ne dicam, ritus, precesque in hoc actu multum esse diuersos ab iis, quos praescribit PONTIFICALE ROMANVM. ANONYM. *in diss. An electores, archiepiscopi moguntinus, et coloniensis sacro pallio duntaxat carentes rite inungant Germanorum regem.*

§. CXCI.

4.) *Episcopatus.*

Ad omnium ordinum fontem (P. I. §. 154.) episcopatum scilicet accedimus; non enim cum episcopis, vt acatholici faciunt, confundas pres-

presbyteros, quos veluti poteſtatis miniſtros diuino mandato tanquam diſcipulorum Chriſti ſucceſſores iis adiunctos eſſe legimus. Teneamus ergo, epiſcopos iure diuino presbyteris eſſe ſuperiores.

Vid. Dionys. Petavii *diſſert. de epiſcopis et eorum iurisdictione et dignitate.* Lvd. Morinvs *de ſac. ordin. P. III. exercit.* 3.

§. CXCII.

Qui definitur.

Eſt itaque Episcopatvs *ordo ſupremus, quo ex inſtitutione diuina datur presbytero poteſtas conferendi ſacramenta confirmationis et ordinis, regendique eccleſiam ipſi commiſſam.* Hinc duplex in epiſcopo eminet poteſtas. 1.) *ordinis* ad confirmandos neophytos et ordinandos eccleſiae miniſtros: 2.) *iurisdictionis* ad gubernandos fideles eccleſiae competentis, ferendo leges, ius dicendo et refractarios coercendo, atque adeo epiſcopi non ſolum duplici hac ratione presbyteros antecellunt, ſed et ipſa munia presbyteris propria pleniore poteſtate exercent. Vid. *P. I.* §. 84. *ſeq.*

§. CXCIII.

Epiſcoporum varii gradus ſunt.

Epiſcoporum aequalis eſt honor et poteſtas, (P. I. §. 85.) ſed praerogatiuae eam exercendi tum diuino tum humano iure, introductae gradus inter epiſcopos conſtituunt. (P. I.

I. §. 149. 150.) Iam confiderandi nobis funt diuerfi illi *gradus*, *quos epifcopalis dignitas complectitur.*

§. CXCIV.

a.) *Pontifex fummus.*

Supremum occupat EPISCOPVS ROMANVS, quatenus S. PETRI *Apoftolorum principis* iure gaudet. (P. I. §. 90. feq.) De quo nunc nihil eft, quod iis addamus quae a nobis in *P. I. fect. II. cap. VII.* dicta funt, et adhuc infra *ad tit. XXX.* dicentur vberius.

§. CXCV.

b.) *Patriarchae.*

Proximum locum obtinent PATRIARCHAE feu *primates dioecefeon*, (P. I. §. 151.) quo titulo ab initio *romanus* folum, *antiochenus*, et *alexandrinus* epifcopi gloriabantur. Fauore imperatorum Conftantinopoli fedem fuam figentium factum eft, vt huius quoque vrbis antiftiti in CONCILIO CHALCEDONENSI *can.* 28. poteftas patriarchalis confirmata fuerit. In qua ipfa fynodo *act. VII.* epifcopo *hierofolymitano* idem honor delatus eft.

§. CXCVI.

Quinque.

Demum in CONCILIO LATERANENSI IV. fub INNOCENTIO III. confirmata funt veterum

te

et maiorum patriarchalium ſedium iura ac priuilegia hoc ordine, vt *poſt romanam quidem proximo loco poneretur conſtantinopolitana, tum alexandrina, porro antiochena, poſtremo hieroſolymitana. cap. 23. de priuileg.*

§. CXCVII.

Quorum iura recenſentur.

Praecipua horum patriarcharum IVRA erant I.) conſeruare vnitatem fidei per mutuam concordiam et vnanimem de orthodoxa doctrina conſenſum. II.) omnes ditionis ſuae metropolitas ſeu archiepiſcopos ordinare aut per ſe aut per legatos ſuos. III.) conuocare ſynodos, inque illis praeſidere IV.) ius dicere non modo archiepiſcopis, ſed et ab eorundem, ſynodorumque prouincialium iudicio adpellationes recipere. V. leges tam eccleſiaſticas, quam ciuiles, quae eccleſiam ſpectabant, promulgare. VI.) grauiora eccleſiae negotia decidere.

Vid. NOVELL. 131. *cap.* 3. NOVELL. 37. *cap.* 5. NOVELL. 123. *cap.* 22. NOVELL. 6. *epilog.* Equidem poſterioribus temporibus patriarchae titulus conceſſus fuit quibusdam aliis inſignioribus epiſcopis. Tales ſunt *aquileienſis*, *venetus*, *indicus*, *luſitanus.* Alii ex ruinis patriarchatuum orientalium enati ſunt, vti *Armenorum*, *Caphtorum*, *Ruthenorum.* Sed hi non aliam habent poteſtatem, quam obtinere modo ſolent primates.

§. CXCVIII.

c.) *Primates.*

Patriarchis proxime accedunt PRIMATES, (P. I. §. 152.) quos romanus pontifex, tanquam occi-

occidentis patriarcha, in diuersis prouinciis tanquam vicarios sibi constituit. Vnde pro diuersitate potestatis communicatae varia eorum erat auctoritas.

Vid. DV-PIN. *de antiq. eccles. discipl. differt. I.* Alia est primatuum species, quibus dignitas quidem competit, nulla tamen potestas in alios metropolitanos, quique adeo subordinatos sibi archiepiscopos non habent; sed vicissim neque ipsi quidem alteri cuipiam primati subsunt: atque hoc sensu in Germania primatis nomen et honor omnibus archiepiscopis videtur fuisse adtributus, excepto viennensi in Austria, vtpote recentiori, de quo primatuum genere HINCMARVS *in opusc.* 33. *cap.* 17. agit. *vid.* MASCOV. *differt. de primat. germ.*

§. CXCIX.

d.) *Archiepiscopi, quorum iura antiqua.*

Archiepiscoporum seu *metropolitanorum* (P. I. §. 153.) maior olim, quam hodie, fuit auctoritas. Etenim eorum erat I.) ius, omnium episcoporum suorum prouincialium electiones dirigendi, electosque confirmandi, ac ordinandi: II.) ecclesiae et sedi episcopali vacanti prouidendi: III.) potestas, episcopos suos iudicandi, et ab eorum iudiciis adpellationes recipiendi: IV.) ius conuocandi synodos, iisque praesidendi: V.) visitandi prouinciam, et abusus emendandi. VI.) exigendi relationes episcoporum de maioribus totius prouinciae negotiis: VII.) suffraganei eos quotannis venerationis causa inuisere tenebantur, quem vero morem SYNODVS TRIDENTINA *sess. XXIV. cap.* 2. *de reform.* abrogauit.

Vid.

Vid. Concil. Nicaen. *can.* 4. 6. Antiochen. *can.* 19. Chalcedon. Act. *XIII. l.* 29. *cod. de episc.* Canon Apostol. 33. 36. 37.

§. CC.

Et hodierna recensentur.

Sed aucta poteſtate papali archiepiſcopalis deminuta eſt, atque archiepiſcoporum quidem praecipua hodie iura ſunt 1.) vt prouinciale concilium quolibet ſaltem triennio conuocent. Concil. Trident. *ſeſſ. XXIV. cap.* 2. *de reform. II.*) Habent iurisdictionem ordinariam in omnes epiſcopos ſeu ſuffraganeos prouinciae, non exemtos. *can.* 1. 2. 3. *X. q. III. cap.* 11. *de off. iud. ordin. III.*) In ſubditos ſuorum ſuffraganeorum exercent iurisdictionem in caſibus ſolummodo a iure expreſſis, quales ſunt 1.) ſi a ſententia *epiſcopi* ad eos adpellatum fuerit. *cap.* 3. *de adpellat. in VI.* 2.) quando metropolitanus actu viſitat dioeceſes. Concil. Trid. *ſeſſ. XXIV. cap.* 3. *de refor. cap.* 1. *de cenſ. in VI. cap.* 1. *de poen. in VI.* 3.) quando extirpanda occurrit exitialis quaedam conſuetudo *cap.* 11. *de fil. presbyt. cap.* 3. *de inſtit. cap.* 36. *de ſimon.*

Iuuabit hic adnectere *catalogum archiepiſcoporum* et *epiſcoporum Germaniae catholicae hodiernae.* I.) ſub Metropoli Mogvntina eccleſiae cathedrales ſunt, 1.) *bambergenſis exemta,* 2.) *herbipolenſis,* 3.) *wormatienſis,* 4.) *euſtettenſis,* 5.) *ſpirenſis,* 6.) *argentinenſis,* 7.) *auguſtana* 8.) *conſtantienſis,* 9.) *hildeſienſis* 10.) *paderbornenſis,* 11.) *curienſis.* II.) ſub Metropoli Trevirensi ſuffragantur eccleſiae

1.)

1.) *metensis*, 2.) *tullensis*, 3.) *virodunensis*. III.) METROPOLI COLONIENSI subsunt 1.) *leodiensis*, 2.) *monasteriensis*, 3.) *osnabrugensis*. IV.) sub METROPOLI SALISBVRGENSI inferiores cathedrae sunt 1.) *patauiensis exemta*, 2.) *ratisbonensis exemta*, 3.) *frisingensis*, 4.) *brixinensis*, 5.) *lauantina*, 6.) *gurcensis*, 7.) *secouiensis*, 8.) *chiemensis*. V.) METROPOLI PRAGENSI subsunt 1.) *Olomucum in morauia* 2.) *Regino graedecia*, 3.) *Litomericia*, 4.) *Vratislauia*. VI.) METROPOLIS BISVNTINA praeter gallicas habet sub se ecclesias 1.) *basileensem et* 2.) *lausanensem*. VII.) METROPOLIS VIENENSIS *in austria*, sub qua est *neostadiensis*. Insuper *Germaniae* adcensentur *ecclesiae cathedrales* 1.) *sedunensis* sub metropoli tarantasiensi in sabaudia, 2.) *geneuensis*, sub archiepiscopo viennensi in delphinatu, 3.) *tridentina, tergestina*, *et labacensis exemtae* sub patriarchatu aquileiensi.

§. CCI.

Archiepiscoporum insignia sunt I.) PALLIVM.

Patriarcharum, primatuum, archiepiscoporum, praeter ornamenta episcopalia, insignia sunt *pallium* et *crux*, vbique intra prouinciam illis praeferenda. PALLIVM describit BARTHELIVS *in dissert. de pall.* quod sit *fascia quaedam quatuor digitorum, habens desuper circulum humeros constringentem, et duas lineas ab vtraque parte, videlicet ante, et retro tantisper pendentes: habet etiam cruces purpureas (alii nigras adpellant) ante et retro, a dextris, et a sinistris, infiguntur etiam tres acus aureae, lapidem pretiosum in capite habentes, scilicet ante pectus, et supra sinistrum hume-*

humerum, et post tergum, et in vtraque linearum extremitate aliquid plumbi positum est, vt firmius casulae adhaereat.

§. CCII.

Quod papa concedit.

Pallium concedit solus papa et patriarchae maiores, postquam ipsi a romano pontifice receperint. *cap.* 23. *de priuileg.* Peti debet *instanter* et *fortiter: can.* 2. *dist. C.* et quidem aut a praesentibus Romae archiepiscopis, aut a procuratoribus eorundem. Adnuit pontifex, et cardinali diacono illud dandum committit, qui hac formula commissum exequitur. *Ad honorem omnipotentis Dei, et diuae Mariae semper Virginis, atque BB. Apostolorum Petri et Pauli, nec non ecclesiae sibi commissae N. tradimus tibi pallium de corpore S. Petri sumtum in quo est plenitudo pontificalis officii, cum patriarchalis, tum archiepiscopalis nominis adpellatione, vt vtaris eo inter ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in priuilegiis ab apostolica sede concessis.*

Vid. Espen *in Iur. eccles. tom. I. lib. I. tit* 19. *cap.* 7, Garnerius *lib. diurn. rom. pont. cap, IV.*

§. CCIII.

Olim quidem gratis.

Est et illud animaduertendum, in concessione pallii nihil ab accipientibus illud prae-

ſtari olim ſolitum fuiſſe: quum adeo exoſa haec veteribus pontificibus praeſtatio fuerit, vt eam non vno loco reiiciendam eſſe adſerere haud dubitarint.

Satis perſpicue id cognoſcimus ex GREGORII M. *epiſt.* 5. *l. VII. verbis ap.* GRATIAN. *diſt. C. can.* 3. relatis.

§. CCIV.

Aliter hodie.

Inualuit poſt ea tempora, vt ſuſtentandorum curiae officialium nomine aliquid exigeretur, annaliumque noſtrorum fide conſtat, inter alios etiam hunc ingenti aere pallium redimendi abuſum in curia romana adeo inualuiſſe, vt natio germanica contra hanc, aliasque huiuscemodi exactiones eccleſiae, et populo nimium graues, et moleſtas imperantibus MAXIMILIANO I. et CAROLO V. adlatis acerbiſſimis querelis, et grauaminibus vehementer clamauerit, et de illis vel omnino abolendis, vel ſaltem temperandis ſeria conſilia agitauerit.

Vid. PAVL LANG. *in chron. citizenſi ad an.* 1513. *ap.* PISTOR. *Script. rer. germ.*

§. CCV.

Corollaria.

Ex eo, quod pallium pontificalis officii plenitudinem continere dicatur, intelligitur, 1.) cur re-

recepto demum pallio archiepiſcopi nomen adſumant. *cap.* 3. *de auct et vſ. pall.* et 2.) pontificalia ſolenniora munia et actus iurisdictionis archiepiſcopis proprios exercere queant, non quod non per electionem et conſecrationem ius omne, ac poteſtatem adquiſierint, ſed poteſtatis eius exercitium ſuſpendatur *cap.* 28. *de elect.* cur 3.) vſus pallii perſonaliſſimus ſit adeo, vt illud neque commodare alteri viuus, neque ſucceſſori relinquere moriturus, neque translatus vſum prioris retinere poſſit. *cap.* 2. *de auct. et vſ. pall. cap.* 4. *de poſtul.*

Quae autem ante receptum pallium exerceri nequeunt, haec fere ſunt: ordinare clericos: abbates benedicere: conſecrare epiſcopos: dedicare baſilicas: conficere chriſma. *cap.* 28. *cit.* ſed neque conuocare concilium prouinciale metropolitanus poteſt, neque eidem praeſidere, prouinciamque viſitare, vt vſus aetatis noſtrae quemque ſatis edocere poteſt.

§. CCVI.

Effectus pallii non ſunt ciuiles.

Quaeri poteſt, et quaerere iurisconſulto eccleſiaſtico Germaniae dignum eſt, an epiſcopus iam conſecratus ad archiepiſcopatum moguntinum, vel colonienſem deinde legitimo modo promotus pallio nondum impetrato iure inungendi regem noſtrum, ſi velit, vti poſſit? Sane huius iuris vſui vulgare illud canoniſtarum axioma: *Archiepiſcopum non palliatum; licet confirmatum, et conſecratum exercere*

non posse ea, quae sunt ordinis: minime obstare mihi facile persuadeo. Quum enim solennitas inaugurationis regiae per se non ecclesiam, sed regnum respiciat, nec regi inuncto ministerium quoddam sacrum tribuat, eam ad actum ordinis vere hierarchicum referri non posse, satis perspicuum esse arbitror.

Eiuscemodi negotia immediate ad regnum pertinentia dispositioni canonum non subiacent, nisi eorundem receptio probetur, quae tamen ipsa et in origine, et in duratione a legislatoris voluntate pendet.

§. CCVII.

De vsu pallii.

Quumque pallii vsus ad propriam cuiusuis ecclesiam, et certos dies sit restrictus, patet 1.) cur papae intra quamlibet ecclesiam totius orbis, atque omni etiam tempore huius honoris vsus competat, 2.) reliquis tamen non nisi intra prouinciam potestati suae subiectam, *cap.* 5. *de auct. et vs. pall.* ceterum 3.) in ecclesiis etiam exemtis; quando enim inter omnes conuenit, exemtione non excludi honorem et reuerentiam dignitati archiepiscopali adnexam, quid est, cur pallii vsum iis denegemus? *cap.* 2. *de priuileg. in clement.* semper tamen 4.) pallio vtendum est in ipsa ecclesia et non nisi intra missarum solennia. 5.) Dies vero, quibus eo vti potest archiepiscopus, notantur in PONTIF. ROMAN. *tit. de pallio.*

§. CCVIII.

§. CCVIII.

II.) CRVX.

CRVX metropolitanis vbique intra prouinciam praefertur, etiam in locis exemtis, modo praesens non sit legatus papae, insignibus vtens apostolicae dignitatis, *cap.* 1. *vt lite pend.* *cap.* 23. *de priuileg.* Ea autem differentia est inter patriarchas et archiepiscopos, quod ante patriarchas crux gestetur, vbique etiam extra patriarchatus sui ditiones, excepta sola Roma; ante metropolitanos vero intra limites suae prouinciae. Item crux patriarcharum constat dupli ci transuerso ligno; crux metropolitanorum tantum vnico.

§. CCIX.

Episcoporum generatim omnium tituli antiqui.

Iam ad EPISCOPOS *simpliciter* sic dictos veniamus, qui nullam in alios episcopos potestatem exercent. Hi sunt quos Spiritus sanctus posuit regere ecclesiam Dei, quos antiquitas *apostolos*, *Apostolorum successores*, *antistites*, *principes sacrorum*, et *populi*, *pontifices*, *summos sacerdotes*, et *patres patrum*, imo *vicarios Christi* et *Angelos ecclesiae* cognominare aliisque singularis venerationis indiciis honorare minime dubitauit.

Vid. MAMACH. *Orig. eccles. tom. IV. pag.* 304. Dicuntur porro hi episcopi, si referantur ad metropolitanos, *suffraganei cap.* 1. *§.* 1. *de for. comp. in VI.*

ſi ad ſubditos, *dioeceſani cap.* 32. §. 1. *de praeb. in VI.* et *ordinarii cap* 8. *de offi. iud. deleg. cap.* 3. *de offi. iud. ord. in VI.*

§. CCX.

Iurium epiſcopalium ſumma capita.

Eorundem ergo officium et poteſtas eſt, vt paterna et paſtorali cura saluti religionis, eccleſiae, et ſuarum ouium inuigilent, tanquam rationem pro iis reddituri. Vnde haec *quinque* recenſeri ſolent *ſumma officii epiſcopalis capita:* I.) interpellandi apud Deum pro populo II.) ſacrificium offerendi, III.) ſacramentis initiandi, IV.) docendi, doctores inſtituendi, V.) ligandi atque ſoluendi in vtroque foro.

§. CCXI.

Recenſentur.

Et quamuis S. CHRYSOSTOMVS *homil. XI. in I. ad* TIMOTH. *III.* 8. dicat: *Inter epiſcopum et presbyterum intereſt ferme nihil: quippe et presbyteris munus docendi et eccleſiae cura permiſſa eſt, et quae de epiſcopis dixit Paulus, ea etiam presbyteris congruunt:* obſeruandum tamen eſt, inferiores epiſcopis clericos in omnibus ſuis functionibus a nutu et auctoritate epiſcopi ſui dependere, adeo, vt nihil, non conſentiente illo, nedum contradicente, faciendi habeant poteſtatem, tanquam miniſtri et vicarii poteſtatis epiſcopalis. Econtra *epiſcoporum poteſtas* et *abſoluta*, et *plena*, reliquorum porro ordinum fons et origo eſt.

Dein

Dein *ordinandi potestas* soli semper episcopo propria fuit, vt collatio sacrorum ordinum a presbytero facta nullius esse momenti nunquam non crederetur. Vid. S. Epiphanivs *haeres.* 75. (*sup.* §. 191. 192.)

TITVLVS XXX.

DE OFFICIO LEGATI.

§. CCXII.

Connexio.

Tanta est pontificis et episcoporum in ecclesia auctoritas, vt eorum iura generatim tetigisse non sufficiat, sed omnino necessarium sit, vt latius distinctiusque de iisdem agatur.

§. CCXIII.

Iura primatus accidentalia.

Iurium sedi pontificiae ex diuina institutione adhaerentium fontem, et quae ex eo profluunt, sigillatim alio in loco me exposuisse memini (P. I. sect. II. cap. VII.) Hic vero referenda esse existimaui ea, quae *adquisita* et *accidentalia* adpellari consueuerunt. (P. I. §. 270.)

§. CCXIV.

Recensentur.

Iuribus vero primatus accidentalibus adcenſeri debent, I.) *ius confirmandi epiſcopos neoelectos* (ſup. §. 198.) quod ſeculo XIV. demum penitus ad romanum pontificem deuolutum fuiſſe conſtat. *vid.* CONCORD. NAT. GERM. ſ. 3. *II.) ius admittendi poſtulationem*, quod ex priore illo conſectarium fuit, III.) *ius conſecrandi epiſcopos* (ſup. §. cit.) conſecratio quippe et confirmatio non erant diuerſi actus; hinc ſicut ius confirmandi ita et conſecrandi epiſcopos romanae ſedi ceſſit, IV.) *ius transferendi epiſcopos, can.* 11. *VII. q. I. can.* 39. *ibid. cap.* 2. *de translat. epiſcop.* cuius fundamentum ex ſpuriis Iſidori decretalibus petitum eſt.

§. CCXV.

Idem.

V.) Ius admittendi ceſſiones, et reſignationes epiſcoporum cap. 5. *de mai. et obed. cap.* 2. 3. 4. *de translat. epiſcop.* PIVS V. *conſtitut.* QVANTA ECCLESIAE. *VI.) ius deponendi epiſcopos, can.* 7. 9. *III. q. VI. can.* 1. *V. q. IV.* ex Iſidori mercibus denuo ortum *cap.* 2. *de translat. epiſcop. VII.) ius erigendi nouos epiſcopatus*, quod vſu et conſuetudine epiſcopo romano ceſſiſſe traditur. VIII.) *ius vniendi diuidendique epiſcopatus*, quod ſicut et cetera omnia, ad metropolitanos ſynodosque prouinciales olim ſpectabat.

§. CCXVI.

Idem.

IX.) *Ius beatificandi et canonizandi*; equidem *canonizationes* olim *particulares* a quouis episcopo communi populi consensu fiebant, quae accedente totius ecclesiae adprobatione *generales* euasere saepius; donec Alexander III. eam rem *maioribus caussis* adcensuerit, *cap.* 1. *de reliq. et venerat. sanct.* et Vrbanvs VIII. *an.* 1634. denique ipsam quoque beatificationem sedi suae reseruauerit.

Vid. Benedict. XIV. opus celeberr. *de seruor. Dei* beatificat.

§. CCXVII.

Idem.

X.) *Ius adprobandi ordines religiosos*, quod SS. Franciscvs et Dominicvs primi implorarunt, *cap. fin. de relig. dom. cap. vn. eod. in VI.* Quae tandem XI.) reliqua sunt iura in hanc classem pertinentia, ea quiuis facile ex fundameno (P. I. §. 93.) praestructo colligere poterit, quorum enim nulla in eo continetur ratio, ea huc referenda esse satis manifestum est.

Vid. *Reuerendiss. abbat.* Stephan Rautenstrauch. *Institut. iur. eccles. sect. II. cap. II.*

§. CCXVIII.

Pontifici in regenda ecclesia adsistunt.

In amplissimis hisce iuribus per vniuersam ecclesiam explicandis pontifici adsistunt cardinales, eiusque in prouinciis exteris *legati*, de quibus ergo hoc loco exponere a ratione instituti nostri haud alienum esse arbitramur. Vid. SIXTI V. *constit.* POSTQVAM VERVS.

§. CCXIX.

I.) CARDINALES.

Cardinalis adpellatio rebus, quae suo in genere ceteris praeeminent, tribui solet: qua ex ratione ad personas ecclesiasticas translata est, indicabatque olim episcopos, ac presbyteros, imo et diaconos titulis suis iure quodam ordinario adfixos, quo discernerentur ab iis, qui ecclesiae regimini ad id duntaxat tempus praeessent, dum eligeretur aliquis, qui iure proprio administraret.

Quae vocis huius acceptio frequens est in scriptis GREGORII M. vid. *dist. LXXI. can.* 5. *caus. VII. q. I. can.* 42. *caus. XXI. q. I. can.* 5. *et* 6.

§. CCXX.

Ecclesiae romanae.

Verum obtinuit deinceps ecclesiae romanae dignitas, vt cardinalatus nomen ad solum eius ecclesiae senatum, pontifici continuo adsisten-

ſiſtentem, reuocaretur: quumque diuerſarum eccleſiarum canonici cardinalium adhuc titulo vterentur, PIVS V. eo illis honore interdixit, ſolosque eccleſiae romanae cardinales hoc decorandos nomine, edita conſtitutione decreuit.

Vid. CARD. PETRA *ad conſtitutionem XV.* EVGENII IV. *§. 6. ſeq.*

§. CCXXI.

1.) *Origo eorum.*

Et vero iam inde a primis eccleſiae ſeculis eximia fuit maioris eccleſiae romanae cleri auctoritas, qua in eccleſia mos ea aetate communis obtinuit, vt, quum de maioris momenti negotio, atque adeo etiam de eligendo pontifice ageretur, vicinos epiſcopos, et praeſertim ſeptem illos agri romani ſimul deliberaturos inuitaret: ipſi quoque pontifices haud infrequenter eos adhibebant, vt in lateranenſi baſilica aut celebrarent diuina myſteria, aut celebrantibus adſiſterent.

§. CCXXII.

Exponitur.

Hiſce cardinalibus epiſcopis ſolis NICOLAVS II. poteſtatem eligendi pontificis, excluſis reliquis omnibus in concilio romano an. 1059. celebrato conceſſit, *can.* 1. *diſt. XXIII. can.* 1. 9. *diſt. LXXIX.* Quod cum aegre

ferret

ferret clerus romanus nobilior aeque ac inferior, ALEXANDER III. ex illo *ſacerdotes* quosdam praecipuae dignitatis in *cardinalium eligentium* ordinem cooptauit; quin *diaconi* quoque poſtea hanc dignitatem obtinuerunt: Atque tum demum cardinales hi ſoli, populo romano, ceterisque clericis excluſis, ius eligendi romanum pontificem quiete exercuerunt, *cap. 6. de elect. et elect. poteſt.* Adeoque eo demum tempore collegium cardinalium ad eam redactum eſt formam, quam ad hanc vſque diem retinuit.

§. CCXXIII.

2.) *Numerus.*

Ceterum numerus cardinalium temporibus variis varius fuit. Iuxta SIXTI V. *conſtitut.* POSTQVAM VERVS. ad ſeptuaginta auctus eſt, ad exemplum ſeptuaginta ſeniorum in ſynagoga, et diſcipulorum Chriſti, ita quidem, *vt ſex* ſint *cardinales epiſcopi*, *quinquaginta presbyteri*, et *quatuordecim diaconi*, quos omnes hodie a pontifice creari ſatis conſtat, fruſtra obnitentibus patribus concilii baſileenſis *ſeſſ. XXIII.*

Eccleſiae cathedrales, quibus ſex epiſcopi cardinales praeſunt, numerantur iſtae: I.) *oſtienſis et veliterna* inuicem *vnita*, II.) *portuenſis et S. Rufinae* itidem *vnitae*, III.) *albanenſis*, IV.) *ſabinenſis*, V.) *tuſculana*, VI.) *praeneſtina.*

§. CCXXIV.

§. CCXXIV.

3.) *Dignitas.*

Huius collegii cardinalium maxima eſt inter clerum praeeminentia. Etenim 1.) cardinales quicunque epiſcopos ac patriarchas a temporibus Concilii Lvgdvnensis I. et II. antecedunt, 2.) veſte et galero purpureis donati ſunt ab Innocentio IV. *cap.* 23. *de priuileg.* queis poſtea Pavlvs *II. P.* adiecit pileum rubrum, poteſtatemque fecit, vt equos et mulos, queis inſiderent, eiusdem coloris panno ſternerent. Pilei rubri vſum etiam ad cardinales religioſos extendit Gregorivs XIV. Conceſſa denique cardinalibus itidem ſunt ornamenta pontificalia, etſi epiſcopi non ſint, 3.) titulo *eminentiſſimi* eos ornauit Vrbanvs VIII. adiecta lege, vtne titulus eminentiae ab vllo, praeterquam eccleſiaſticis Germaniae electoribus, ac magiſtro hoſpitalis hieroſolimitani poſthac vſurparetur.

Quod ad proedriam inter laicos nemini, niſi regum maieſtati, concedunt: et ſi res canoniſtarum dictatis decidenda eſſet, nulla eſt cardinalatu dignitatas maior. Sed haec paucis adrident: Certe a principibus Germaniae electoribus hanc honoris praerogatiuam adhuc agnitam haud fuiſſe ſatis conſtat. Vid. Zachar. Zwanzig. *theatr. praeced. P. I. cap. XXV.*

§. CCXXV.

4.) *Officia viuo pontifice.*

Mvnia et Ivra cardinalium ſunt haec: 1.) vt in regimine eccleſiae vniuerſae pontifici,

fici, tanquam primi eius consiliarii, adsistant, quod tamen officium non impedit, vt alterius ecclesiae regimen cum eo consistere nequeat, *cap.* 52. *de elect.* CONCIL. TRIDENT. *sess.* 23. *cap.* 1. *de reform.* votaque illorum in consistorio, quod ex iis pontifex format, sunt tantum *consultiua*, 2.) variis Romae praesunt congregationibus, de quibus alibi (P. I. sect. IV. cap. V.) dictum est, 3.) funguntur munere protectorum ad curanda negotia variorum regnorum et principum, et quidem nationis germanicae protectorem designat imperator romanus, vid. *capitul.* IOS. II. *art.* 23. §. 4.

§. CCXXVI.

Et eo mortuo sedeque papali vacante.

Sede vacante 4.) imperio ciuili in ecclesiae romanae terris ipsi funguntur, nequaquam tamen simul succedunt in potestatem pontificis, *qua capitis ecclesiae vniuersae*, quum haec *personalissima* sit, nisi forte vrgens necessitas aliud subinde exposcat, *cap.* 3. *de elect. in VI. cap.* 2. *ibid. in clement.* PIVS IV. *constit.* IN ELIGENDIS. CLEMENS XII. *constit.* APOSTOLATVS OFFICIVM. Denique 5.) gaudent iure eligendi pontificem priuatiue (sup. §. 220.)

§. CCXXVII.

5.) *Priuilegia.*

Sunt porro cardinalium praerogatiuae aliae multae et PRIVILEGIA, quae recensere hic

pla-

placet, 1.) gaudent omnibus episcoporum priuilegiis, iurisdictionemque quasi episcopalem suis in titulis exercent, etsi sint presbyteri tantum, aut diaconi *cap.* 24. *de elect. cap.* 11. *de mai. et obed.* SIXTVS V. *constitut.* RELIGIOSA. Porro 2.) tonsuram, et minores ordines, modo sint presbyteri, suis in titulis conferre possunt personis eiusdem ecclesiae seruitio addictis. BENEDICT. XIV. *const.* AD AVDIENTIAM. Item 3.) generalibus ordinationibus, vel sententia interdicti aut suspensionis non censentur inclusi, nisi expressa eorum fiat mentio, *arg. cap.* 4. *de sent. excom. in VI.* vt taceam cetera, quibus curialistae dignitatem cardinalitiam onerare magis, quam decorare solent, priuilegia.

§. CCXXVIII.

6.) *Dotes necessariae.*

Grauissimo hoc, quod cardinalis sustinet, munere, vt eo, quo decet, modo fungatur, minime ambiguum est, quin *eximiae dotes* virtutesque singulares requirantur in eo, qui ad hanc dignitatem euehitur. Quapropter CONCILIVM TRIDENTINVM *ea omnia, et singula, quae de episcoporum praeficiendorum vita, aetate, doctrina, et ceteris qualitatibus alias in eadem synodo constituta sunt, decernit eadem etiam in creatione sanctissimae romanae ecclesiae cardinalium, etiamsi diaconi sint, exigenda: quos sanctissimus romanus pontifex ex omnibus christianitatis nationibus, quantum*

tum commode fieri poterit, prout idoneos reperit, adſumet. Poſtremo eadem ſancta ſynodus tot grauiſſimis eccleſiae incommodis commota non poteſt non commemorare, nihil magis eccleſiae Dei eſſe neceſſarium, quam vt beatiſſimus romanus pontifex, quam ſolicitudinem vniuerſae eccleſiae ex muneris ſui officio debet, eam hic potiſſimum impendat, vt lectiſſimos tantum ſibi cardinales adſciſcat. Quum enim horum conſilio pontifex vtatur, atque ideo iis *vniuerſalis eccleſiae adminiſtratio nitatur, nefas videri poteſt, non iis etiam virtutum inſignibus, ac viuendi diſciplina eos fulgere, quae merito omnium in ſe oculos conuertant.* CONCIL. TRIDENT. *ſeſſ. XXIV. et XXV. cap.* I. *de reform.*

Sunt tamen in his haec propria, quod I.) *legitimati* per ſubſequens matrimonium, tametſi ad epiſcopalem dignitatem admittantur, cardinalitio honore indigni cenſeantur; II.) non adſumantur, qui filium, filiamue, vtut legitimo procreatos matrimonio, nepotesue ex iis alunt. III.) inhabiles, quoque habentur, qui fratrem etiam germanum, aut patruelem, conſobrinum, aut amitinum cardinalem viuentem habent. vid. SIXTI V. *conſtitut.* POSTQVAM VERVS 50. §. 12. 17. 18. ſed haec aetas noſtra non adeo ſcrupuloſe ſeruat. Latiſſime et erudite hanc materiam de cardinalibus tractat IACOB. COHELLI *de notitia cardinalatus. l. I. p.* 129.

§. CCXXIX.

II.) LEGATI.

Cura vniuerſalis eccleſiae, quam gerere debet pontifex, non modo cardinales ei Romae

mae neceſſarios effecit; ſed et in aliis prouinciis, regnisque viros idoneos, qui repentina eccleſiae mala facilius cognoſcenda aut emendent ipſi, aut emendanda ſedi apoſtolicae denuncient: quem in finem iam antiquis eccleſiae temporibus LEGATOS in prouincias mittendi morem obtinuiſſe monumenta peruetuſta abunde probant.

Vid. THOMASSIN. *de vet. et nou. eccleſ. diſcipl. P. I. lib. II. cap. I. 17. ſeqq.* VAN ESPEN. *Iur. eccleſ. P. I. tit.* 21.

§. CCXXX.

1.) *A latere.*

Ad morem eccleſiae hodiernum ſi reſpicias, varia ſunt legatorum genera, quos inter eminent ii, quos *legatos a latere* adpellamus, ea ex ratione, quod ſumantur e collegio cardinalium; qui veluti pars corporis pontificis, lateri huius perpetuo adeſſe ſolent. Non niſi ad ſummos principes, grauibusque in negotiis conficiendis mitti, eoque, vt eminens magis eorum ſit auctoritas, eximia quoque illis poteſtas concedi ſolet. Vid. *cap.* 1. *de offic. legat. in* 6. *can.* 11. *et* 36. *II. q. VI.*

§. CCXXXI.

Eorum auctoritas.

Poteſtate vero eorum, praeter illa, quae legatis omnibus communia ſunt, haec contine-

ri aiunt: 1.) habere eos poteſtatem a die egreſſus ſui ex vrbe vſque ad diem reditus abſoluendi percuſſores clericorum, cuius demumcunque prouinciae ii fuerint, 2.) gaudere iure cognoſcendi de cauſis exemtorum: 3.) epiſcoporum, atque exemtorum electiones confirmandi: pari demum 4.) in conferendis beneficiis auctoritate praeditos eſſe, ac eſt ordinarii cuiusque, in prouincia, in qua munere legati funguntur. Vid. *cap.* 4. *de offic. legat. cap.* 36. *de elect. in VI. cap.* 1. *de offic. legat. in VI. cap.* 31. *de praeb. in VI.*

At poſtrema hac conferendorum beneficiorum poteſtate, etiam communi iure iuſtis limitationibus haud deſtituta, eos vti germani non patimur, ne vis fiat concordatis, in quorum praeiudicium ne pontifici quidem decernere quidquam fas eſt. Vid. *cap.* 4. *pr. de offic. legat. in VI. cap.* 2. *de praeb. in VI.* BARTHEL. *adnotat. ad ius can. h. t.*

§. CCXXXII.

Idem.

Auctoritati legatorum a latere hoc quoque datum eſt, vt 5.) legatorum inferioris gradus officium ſuſpendatur, quamdiu eodem in loco eos morari contingit. 6.) vt nec archiepiſcopi, ac ne patriarchae quidem iubere poſſint ſibi crucem praeferri, quum adeſſet legatus inſigniis apoſtolicae dignitatis vtens. Ex quo colligunt 7.) nec epiſcopo ius eſſe praeſente legato huius ordinis benedicendi populo, deferendique veſtes iurisdictionem eius ordinariam in-

dica-

dicaturas. Vid. *cap.* 8. *de offic. legat. cap.* 23. *de priuil.*

§. CCXXXIII.

2.) *Nati.*

Alterum genus legatorum sunt *legati nati*. qui titulum, atque officium legationis ex priuilegio habent suis ecclesiis adnexum. Vnionis cum ecclesia romana seruandae causa hac dignitate praecipuas olim ecclesias romani pontifices exornarunt, maiorque horum tum erat, quam ceterorum legatorum potestas, quos hodie *Nuncios* adpellamus. At, quum animaduerterent postea, non tantum sibi praesidii situm esse in his legatis, qui plerique dignitates suas citra pontificis romani auctoritatem consequuntur, quam in iis, qui eius solius voluntate mittuntur reuocanturque, aucta horum potestate, legatis natis propemodum Solum mansit nomen reliquum.

§. CCXXXIV.

3.) *Missi.*

De *legatis* igitur *missis* exponamus, quorum alii sunt, qui cum iurisdictione duntaxat temporali ablegantur in prouincias, aut ciuitates ditionis romanae administraturi: alii iurisdictione gaudent spirituali, eaque vel delegata ad certum genus negotiorum, aut ordinaria, quibus certarum prouinciarum legatio committitur. Adfines sunt illis, qui olim apostolicae

licae ſedis *Apocriſiarii* dicebantur, nunc vulgo *nuncios apoſtolicos* vocamus, quales in Germania ſunt Viennae, Coloniae, et Lucernae. *diſt. XVI. can.* 12. Nov. 25. *cap.* 1. Nov. 123. *cap.* 25. *cap.* 2. *de offic. legati in VI.*

§. CCXXXV.

Eorum poteſtas.

Multa ſunt quidem de nunciis apoſtolicis conſtituta; verum pleraque eorum abierunt in deſuetudinem. Quare difficile eſt, poteſtatem eorum omnem certa regula complecti. Adcuratius igitur haud dubie ſtatuitur, ſi dicamus ex mandato papae de poteſtate eorum iudicium ferendum eſſe: ceterum id experiundo conſtat, diſpenſationes eos elargiri, concedere indulgentias non plenarias, adpellationes ab epiſcopo recipere, nonnulla iuramenta relaxare, a cenſuris ſua in prouincia abſoluere, delegationibus pontificiis defungi, quaeque alias vſus edocere poteſt. *cap.* 3. *de adpel. in VI.* CONCIL. TRIDENT. *ſeſſ. XXII. cap.* 7. *de reform.*

§. CCXXXVI.

In CONCILIO TRIDENTINO *reſtricta eſt.*

De poteſtate vero iudiciaria ita in TRIDENTINO CONCILIO cautum eſt: *vt legati etiam de latere, nuncii, gubernatores eccleſiaſtici, aut alii quarumcunque facultatum vigore, non ſolum epiſcopos in praedictis cauſis impedire, aut*

aliquo

aliquo modo eorum iurisdictionem iis praeripere, aut turbare non praesumant, sed nec etiam contra clericos, aliasque personas ecclesiasticas, nisi episcopo prius requisito, eoque negligente procedant, alias eorum processus, ordinationesue nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur. sess. XXIV. c. 20. de reform.

Vid. Zech. *Hierarch. eccles. tit. XXIV. et XXV.*

TITVLVS XXXI.

DE OFFICIO IVDICIS ORDINARII.

§. CCXXXVII.

Episcoporum potestas.

Hactenus de pontifice diximus *episcopalis potestatis* fonte, (P. I. sect. I. §. 84.) ac praecipua eius capita *generatim* (sup. §. 192. 209. seq.) praestruximus, ex quibus nunc *in specie* episcoporum *iura et officia* euoluemus.

§. CCXXXVIII.

Est ordinaria.

Qua in re istud primo animaduertendum est, ab episcopis dioeceses suas *regi* nomine et iure, non quodam vicario pontificis et beneficio alieno, sed *iure proprio*, ita quidem, vt

pontifici nequaquam competat ius concurrentis iurisdictionis, et praeuentionis cum episcopis in eorum dioecesibus: Quamobrem horum *potestas plenaria* est, et *ordinaria cap. 7. de off. ord. in VI.* Vnde et ORDINARII adpellantur. (sup. §. 209. in schol.) Etenim omnes Apostolorum successores sunt *dist. XCIII. can. legimus et episcopatus vnus est, cuius a singulis pars in solidum tenetur. can. 16. XXIV. q. I.*

§. CCXXXIX.

Ad dioecesim propriam.

Quamuis Christus apostolos suos non ad certam regionem singulos, sed in mundum vniuersum, vt docerent omnes gentes, miserit; MARC. *XVI.* 20. mox tamen post mortem Apostolorum, vt confusio ex indiuiso illo regimine oritura euitaretur, *singulis pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat vnusquisque et gubernet. add. can. 7. seq. IX. q. I.* Quam in rem SYNODVS TRIDENTINA *sess. VI. cap. 5. de reform.* constituit: *nulli episcopo liceat cuiusuis priuilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem ordinario subiectas tantum.*

Sub exercitio pontificalium comprehenditur non tantum ordinum collatio, in quam decreti verba concepta sunt, sed et alia, quae aliquam iurisdictionem siue auctoritatem episcopalem requirunt. VAN ESPEN. *P. I. tit. XVI. cap. V.*

§. CCXL.

§. CCXL.

Regulariter restricta.

Ceterum ab eo, quod iam singuli episcopi certis quibusdam locis adscripti, iisque regiones certae, quas hodie Dioeceses vocamus, adsignatae fuerint, perperam, quis ad potestatis episcopalis imminutionem, hac ratione factam, concluderet. Haec enim qualiscunque dioecesium diuisio, iure humano introducta, legi necessitatis et charitatis ita subordinatur, vt alterutra vrgente episcopus ad alienam quoque dioecesin suam auctoritatem extendere possit, ac saepius etiam debeat. Vid. Van Espen. *ibid. cap. VI.*

§. CCXLI.

Huius personae et res omnes ei subiiciuntur.

Quam vero in propriam suam dioecesin exercent episcopi potestatem, ea ad personas et res ecclesiasticas, intra fines dioeceseos sitas omnes, ita extenditur, vt, si quis exemtionem, quae est liberatio quaedam a iurisdictione ordinarii, seu iurisdictionem ecclesiasticam praeter episcopum in dioecesi sibi competere adserat, oneri probandi subiiciatur. Quid, quod nulla, quantumuis generalis, ab episcopi iurisdictione cuicumque, seu personae seu corpori indulta exemtio in tantum valere possit, vt quemquam in his, quae curam populi et regimen ecclesiae concernunt, a subiectione episcopali eximere posset.

§. CCXLII.

Epiſcopalis officii caput I.) INTERPELLATIO *apud Deum pro populo.*

Hanc apoſtolici officii plenitudinem in ſuas dioeceſes rite exercent epiſcopi, quum ad exemplum apoſtolorum ACT. *VI. et ad* COLOSSEN. *I.* 9. in orationibus piisque meditationibus ſunt continui, queis *non ſibi ipſis tantum diuini luminis illuſtrationem depoſcant; ſed etiam pro fidelibus ſuae curae commiſſis humiles preces fundant; eorum peccata deplorando, pioque gemitu et religioſa ſupplicatione Deum orando, vt disiectis peccatorum nubibus pluuiam et rorem ſuae diuinae gratiae ac miſericordiae effundat in haereditatem et agrum eccleſiae ſuae.* S. CAROLVS *Borromae. in* CONCIL. MEDIOLAN. *IV. P. III. cap. I.*

§. CCXLIII.

Simulque cura precibus populi tum priuatis.

Nec ipſum tantum pro ſe populoque ſuo continuas orationes fundere oportet; ſed inſuper populum ad orandum inuitare, ipſumque orandi modum docere, nec non preces tum priuatas tum publicas praeſcribere et dirigere ad epiſcopalem curam pertinet. Et quidem, cum populus, quoad PRECES I.) PRIVATAS libellis vulgaribus et precationum formulis vti ſoleat, epiſcoporum eſt, inuigilare, num ad ſolidam deuotionem excitandam ſint conuenientes, num ſanae doctrinae nihil contrarium contineant,

tineant, num superstitionis nihil sub specie pietatis inuoluant. Etenim ea omnia purgari diligenter, et ad proportionem fidei reduci episcoporum sedulitate necesse est. Vid. SYNOD. CAMERACENS. *ap.* VAN ESPEN. *P. I. tit. XVI. cap. XII.* §. 6.

§. CCXLIV.

Tum publicis impendenda.

Inter PRECES II.) PUBLICAS eminent 1.) *oratio*, quae *quadraginta horarum* dicitur, et in conspectu sanctissimi Sacramenti e tabernaculo expositi, peragi solet. 2.) *processiones generales*, in quibus plerumque venerabile Sacramentum, aut sanctorum reliquiae circumferuntur. 3.) *officium canonicum*, quod solenniter persoluitur. In his omnibus tanta est episcoporum auctoritas, vt has aliasque preces publicas indicere, quae in iis cauenda et obseruanda sint praescribere, eas vel abrogare vel immutare, et *in specie* clericos, tam seculares quam regulares, etiam exemtos, ad publicas processiones compellere, eorum controuersias de praecedentia componere, CONCIL. TRIDENT. *sess. XXV. cap.* 13. *de regular.* tum *breuiaria*, *missalia*, *antiphonalia*, aliosque libros ad diuinum officium pertinentes examinare et corrigere possint, atque etiam debeant, si suo satisfacere officio velint, Vid. VAN ESPEN. *loc. cit. cap. XII.*

§. CCXLV.

II.) SACRIFICII OBLATIO.

Porro excellentior et efficacior ſpecies orationis quum ſit miſſae ſacrificium; huius quoque celebratio praecipue ad epiſcopum ſpectat: nec primis eccleſiae ſeculis presbyteris oblatio huius ſacrificii concedebatur, niſi abſente aut impedito epiſcopo. Quemadmodum iudex diebus faſtis pro tribunali ſedeat neceſſe eſt, ita et epiſcopus diebus ne faſtis conuentui fidelium praeſidere, atque ſacrificium offerre tenetur cuius rei neglectum inſolitum quid adpellabant veteres. Igitur S. CAROLVS BORROM. epiſcopos monuit: *miſſae ſacrificium frequentius celebrare ſtudeant. Dominicis vero feſtisque diebus ne id praeſtare omittant. Hoc vero ipſum facere curent crebrius in eccleſiis, quam in priuatis oratoriis ap.* VAN ESPRN. *loc. cit.* §. 4.

S. GREGORIVS *lib. VIII. epiſt.* 55. ſcribit: *ſe tantis podagrae doloribus adfligi, vt vix in diebus feſtis vsque ad horarum trium ſpatium ſurgere valeat, miſſarumque* SOLENNIA *celebrare.*

§. CCXLVI.

III.) *Sacramentorum* DISPENSATIO.

Epiſcopus eſt, *cuius fidei populus eſt creditus, et a quo pro animabus ratio exigetur.* CAN. APOST. 38. ipſius curae animarum ſalus eſt commiſſa. Sed huius obtinendae cauſa ſacramenta a Chriſto domino, tanquam media effica-

efficacissima, instituta fuisse, religionis christianae tyrones etiam norunt. Vt ergo dubitari amplius non possit, praecipuum episcopi officium in eo quoque versari, vt in sacramentorum omnium, non eorum tantum, quae ordinem episcopalem requirunt, (sup. §. 192. 210.) administratione diu multumque occupetur.

§. CCXLVII.

IV.) PRAEDICATIO *verbi diuini.*

Inter cetera, quae spectant ad salutem populi christiani; pabulum verbi Dei permaxime sibi noscitur esse necessarium quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur. cap. 15. *de offic. ordin.* Quare SYNODVS TRIDENTINA *declarauit:* PRAECEPTO DIVINO *mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere - - verbique diuini* PRAEDICATIONE *pascere. sess. XXIII. cap.* I *de ref.* adeoque PRAEDICATIONEM *euangelii siue praedicationis munus esse episcoporum praecipuum; eosque teneri* PER SE IPSOS, *si legitime impediti non fuerint ad* PRAEDICANDVM *sanctum Iesu Christi* EVANGELIVM. *sess. V. cap.* 2. *sess. XXIV. cap.* 4. *de ref.* vtpote quibus *officium docendi imposuit sacerdotio necessitudo.* S. AMBROS. *lib. I. off. cap.* I. add. *I. ad* COR. *I.* 18. *II. ad* TIM. *IV.* ACT. *XX.* 18. *seq.*

§. CCXLVIII.

§. CCXLVIII.

Quae absque licentia episcopi nemini permissa est.

Populum docere et diuina decreta interpretari adeo proprium est episcopi officium, vt sine auctoritate et consensu eius publice praedicare nemo iure possit. Hinc neque magistratus seculares concionatores constituendi et adprobandi ius habent, sed solus episcopus, cuius ministri et vicarii sunt, qui verbum Dei adnuntiant. Cumque regulares contra episcopum priuilegia sua obtendebant olim, decisum est in SYNODO TRIDENTINA, regulares, quoscumque demum, in ecclesiis suorum ordinum sine tacita saltim; in ecclesiis vero aliis sine expressa episcopi licentia concionari nequaquam posse. *sess. V. cap. 2. sess. XXIV. cap. 4. de ref.* add. VAN ESPEN. *loc. cit. cap. XI.*

§. CCXLIX.

Atque is ius habet in subsidium constituendi doctores plebis christianae.

Tanta vero est dioecesium extensio, vt solus episcopus omnem suum populum actu, et continuo pascere, eaque omnia facere, quae ad spiritualem totius populi curam, et regimen requiruntur, nequeat. Itaque inde hoc episcopi officium enascitur, vt idoneos cooperatores, inferiores sacerdotes et ministros, sibi adsumat; vtique omnia ecclesiae ministeria et ecclesiastica officia, siue dignitates, siue

ſiue beneficia non alium in finem, quam *in adiutorium epiſcoporum*, ſunt inſtituta. Caecus ergo ſit, oportet, qui non videat ius doctores et paſtores per totam dioeceſin conſtituendi, et adprobandi cum notione officii epiſcopalis intime connexum eſſe. Verum enimuero, quotcumque demum in adiutorium ab epiſcopo ſacerdotes adſcitos eſſe concipias, ii epiſcopum a cura non liberare, ſed in cura ſuſtinenda adiuuare deberent. Vid. *cap.* 15. *de off. ordin.* TRIDENTIN. *ſeſſ. V. cap.* 2. *ſeſſ. XXIV. cap.* 4. *de reform.*

§. CCL.

V.) Poteſtatis ſpiritualis rectus vſus generatim.

Denique epiſcopi, tanquam veri apoſtolorum ſucceſſores, ab ipſo Spiritu ſancto poſiti ſunt regere eccleſiam Dei, ligare et ſoluere, in vtroque foro, tam interno, quam externo. Etenim *ſi quis venerit contra decretum epiſcopi, ab eccleſia abiiciatur, cap.* 2. *de mai. et obed.* is enim *in tota ſua dioeceſi iurisdictionem ordinariam noſcitur habere. cap.* 7. *de off. ordin. in VI.* Ex quibus iam nullo negotio plurima epiſcoporum iura deriuari poſſent. Verum ea omnia, quae in *P. I. ſect. I. cap. VII.* de poteſtate eccleſiaſtica generatim expoſuimus, facillime ad poteſtatem ſacram epiſcopalem adplicari poſſunt, reliqua autem in decurſu decretalium ſuis in locis occurrent.

§. CCLI.

§. CCLI.

Alia iurium episcopalium diuisio traditur.

Alias decretalistae iura episcopalia in quatuor genera solent diuidere, vt sint vel *iura ordinis*, vel *status et dignitatis*, vel *iurisdictionis*, vel *legis dioecesanae*. Est haec distinctio in scholis adhuc et foro recepta; hinc operae pretium est, vt eam ex communi canonistarum doctrina explicemus.

§. CCLII.

I.) *Iura ordinis.*

Itaque *ad iura ordinis* spectare aiunt 1.) potestatem conferendi sacramenta ordinis et confirmationis (sup. §. 192. 210.) dein 2.) potestatem consecrandi ecclesias et altaria. 3.) benedicendi coemeteria, abbates, abbatissas, virgines sacras, et reliqua huius generis.

§. CCLIII.

II.) *Iura status.*

Iura status et dignitatis episcopalis constituunt 1.) *ius habendi solium* seu *thronum* 2.) *ius mitrae*, *pedi*, et *annuli pastoralis*, *crucis pectoralis*, *chirothecarum*, *tunicellae*, *sandaliorum*, et reliqua. 3.) *tituli* porro huc referuntur, quibus episcopi, qui personis *illustribus* merito adcensentur, insigniuntur. 4.) referendae huc denique quaecumque ceterae episcopo-

ſcoporum praerogatiuae ſeu eccleſiaſticae ſeu ciuiles.

Vid. Thomassin. *P. I. lib. II. cap.* 58. *ſeq.* Quod ad germaniam noſtram pertinet, notandum eſt, habere epiſcopos noſtros *duplex territorium: eccleſiaſticum* ratione iurisdictionis eorum eccleſiaſticae, id quod haud raro ad ſtatuum ſecularium territorium ſeſe extendit, et *ſeculare*, cui tanquam imperii principes cum ſuperioritate territoriali praeſunt. Quod vtrumque diuerſis ſaepe limitibus continetur.

§. CCLIV.

III.) *Iura iurisdictionis.*

Ad *iura iurisdictionis* referuntur 1.) ius decidendi cauſas clericorum omnes, et 2.) laicorum ſpirituales 3.) cauſas matrimoniales 4.) infligendi cenſuras et poenas eccleſiaſticas, ac ab iisdem abſoluendi 5.) in iure diſpenſandi. 6.) inſtituendi et deponendi clericos.

§. CCLV.

IV.) *Iura legis dioeceſanae*

Ad *iura legis dioeceſanae* pertinent 1.) canonica obedientia ac ſubiectio a clericis ſcripto, aut homagio, praeſtanda. 2.) ius conuocandi ſynodum dioeceſanam 3.) condendi ſtatuta dioeceſana. 4.) ius conferendi beneficia 5.) adminiſtrandi et diſpenſandi bona et res eccleſiaſticas in dioeceſi ſitas 6.) ius inſpectionis in domos religioſas, 7.) ius exigendi procurationes, cathedraticum et ſubſidium charitatiuum, 8.) ius

ius decimas et alios prouentus ecclesiasticos exigendi 9.) ius testamenta et dispositiones ad pias causas exequendi.

Distinctio inter legem dioecesanam et legem iurisdictionis incognita erat in ecclesia, donec pontifices varia exemtionis priuilegia concessere monachis e. g. *in can.* 34. *XVI. q. I. can.* 5. 6. *XVIII. q. II.* Postea IOANNES HVGATIO vel vt alii volunt IOANNES SENECA dictus TEVTONICVS auctores glossae communis in decretum Gratiani eam distinctionem glossis suis inseruere ad legem dioecesanam referentes, in quibus monachi subducti fuerunt potestati episcoporum: cetera vero, in quibus subiecti eisdem remanebant, ad legem iurisdictionis. vid. *cap.* 18. *de off. iud. ordin.* cuius auctor est HONORIVS III. P. qui nouo commento glossatorio deceptus distinctionem inter *legem dioecesanam*, qua olim omnia iura episcopalia continebantur, et *legem iurisdictionis* in sensu speciali acceptam hoc decretali adprobauit, et noui iuris hoc modo conditor extitit. IAN. A COSTA et FLORENS ad *h. t.* add. REVERENDIS. ABB. RAVTTENSTRAVCH. *Instit. iur. eccles. sect. I. c. IX.* §. 442. *seq.*

§. CCLVI.

Grauissimum est episcopi officium.

Leuis est quidem haec muneris episcopalis adumbratio; neque enim pro rei dignitate rem hanc pertractare limites libelli nostri permittunt. Ceterum ex ea satis intelligitur, grauissimum esse, et non nisi laboriosum episcopi officium, onusque, vt SS. patres aiunt, *angelicis humeris* formidandum. *Itaque optandum esset, vt ii, qui episcopale ministerium suscipiunt, quae suae sint partes agnoscant, ac*

se

ſe non ad propria commoda, non ad diuitias aut luxum; ſed ad labores et ſollicitudinem pro Dei gloria vocatos eſſe intelligant. CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXV. cap.* I. *de reform.*

TITVLVS XXIII.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

TITVLVS XXIV.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

TITVLVS XXV.

DE OFFICIO PRIMICERII.

TITVLVS XXVI.

DE OFFICIO SACRISTAE.

TITVLVS XXVII.

DE OFFICIO CVSTODIS.

TITVLVS XXVIII.

DE OFFICIO VICARII.

§. CCLVII.

Episcopi cooperatoribus indigent.

Tantis ergo episcopus curis distentus, vicariorum et consiliariorum ope vtatur necesse est. Et quidem vicariorum, qui ei adsistunt, duo sunt genera: Alii episcopis aegrotis, aut senibus: alii valentibus et sanis praesto sunt. Illi *coadiutores*, hi *vicarii speciatim* adpellantur.

De *coadiutore* dicemus in LIBR. *III. ad tit. VI. de cleric. aegrot.*

§. CCLVIII.

Vicarii Episcoporum in actibus ordinis sunt, I.) ARCHIPRESBYTERI.

Vicariorum episcopalium non vna est species. Alii nempe sunt *vicarii episcoporum in actibus ordinis*, quales olim fuerunt ARCHIPRESBYTERI in iis, qui possunt a presbytero exerceri. Eorum origo haec est. Iam inde ab ecclesiae primordiis episcopi presbyterorum ecclesiae suae consiliis vtebantur. Qui inter eos ordinationis aetate ceteros superaret, *pro-*

to-

to-presbyter, *archipresbyter*, vel, quod idem est, *primus presbyter dicebatur*. *Vid.* NOVELL. 123. *cap.* 3.

§. CCLIX.

Eorum officia recensentur.

Qui, quum hac ratione primus esset ab episcopo, vice-episcopi absentis, tanquam primarius eius minister et adiutor fungebatur: clero in vniuersum praeerat, tanquam superior et morum rector: Episcopi absentis loco missarum solennia in ecclesia cathedrali celebrabat: curam porro peculiarem habebat eorum, qui poenitentiam publicam subibant. *cap.* 1. 2. 3. *de off. archipresbyt.*

Archipresbyter, de quo nunc, *vrbicus* siue *vrbicarius* dicitur, id est, *vrbis episcopalis*, ad distinctionem *archipresbyterorum ruralium*, quos *decanos rurales* quoque hodie adpellamus. *cap.* 4. *et vlt. eod.*

§. CCLX.

Et status hodiernus.

Sed omnia fere hoc in officio mutata sunt, solo titulo superstite. Archipresbyteri vrbani munia vt plurimum in Germania nostra sustinet decanus cathedralis ecclesiae, auctoritate, quam olim, aliquanto etiam maiore.

§. CCLXI.

II.) CHOREPISCOPI.

Praeter archipresbyteros exeunte feculo III. alii adhuc inftitui coeperunt epifcoporum in functionibus ordinis vicarii, fcilicet CHOREPISCOPI, quafi *epifcopi iuris* vel *pagi*, eoquod epifcopalia munia minoris momenti ruri exequerentur. Lis etiamnum eft inter eruditos, num epifcopatus ordine, an presbyteratus folum infigniti fuerint chorepifcopi: verifimilior media videtur effe fententia negantium, eos ex inftituto fuo fuiffe epifcopos; contigiffe tamen faepius, vt epifcopali etiam fulgerent charactere. Ceterum ob abufum poteftatis fuae faepius coerciti, denique medio circiter feculo X. omnino funt abrogati.

Quid de chorepifcoporum poteftate et auctoritate feculo octauo fenferit ecclefia Germaniae docet nos CAPITVLARE CAROLI M. *l. VI. capitularium c.* 369. his verbis: *Hominum confirmatio, ecclefiarum, altarium, virginum, chrifmatum, presbyterorum, diaconorum et fubdiaconorum confecrationes a chorepifcopis factae, ab epifcopis qui canonice ordinati funt, reformandae, canoniceque funt peragendae, quia chorepifcopi haec contingere non debuerunt. Nequaquam enim talis ordinatio vel confecratio reiteratio effe a prudentibus et recte fapientibus videtur, fed irrita (nec agere potuerunt, non enim ea tribuere valuerunt, quae non habuerunt) indubitanter fore agnofcitur.* vid. PETR. DE MARCA *lib. II. cap.* 13. BINGHAM *lib. II. cap.* 14.

§. CCLXII.

§. CCLXII.

III.) SVFFRAGANEO.

Sed hodie adhuc, praesertim in Germania nostra, frequens est vsus *vicariorum in pontificalibus*, seu EPISCOPORVM SVFFRAGANEORVM, qui in collatione sacrorum ordinum, consecratione templorum, benedictione abbatum, aliisque functionibus pontificalibus, absque vlla tamen iurisdictione episcopos nostros principes supplent. Huic officio, quum non nisi episcopis consecratis concedi possit, aptissimi videbantur *episcopi titulares*, seu *in partibus*, qui auctoritate summi pontificis ordinantur ad titulum ecclesiae alicuius ab infidelibus occupatae, vel a schismaticis vsurpatae, de quibus *vid. cap.* 5. *de elect. in clement.* CONCIL. TRIDENT. *sess. XIV. cap.* 2. *de reform.*

§. CCLXIII.

Vicarii episcoporum in actibus iurisdictionis sunt I.) ARCHIDIACONI.

Inter *vicarios*, qui ea, quae *iurisdictionis* sunt, vice episcoporum obeunt, primo loco ARHIDIACONI sese offerunt, qui, quod potestatem suam ex canonum dispositione habeant officio iam adnexam *cap.* 1. *de off. archid. vicarii* episcoporum *nati* adpellantur. Eorum potestas amplissima *can.* 1. *dist.* XXV. ab initio tantum *vicaria* fuerat et *delegata*, ab episcopi arbitrio pendens; donec iteratis et indefinitis

ſaepe cauſarum delegationibus id tandem effectum eſt, vt *iure proprio* ſua peragerent, et iurisdictio illorum a ſeculo XI. *ordinaria* haberetur. *cap.* 3. *de adpellat. in VI. cap.* 34. *de elect. cap.* 10. *de offic. archid.* tantaque euaderet, vt praelatorum numero adſcriberentur, *cap.* 7. *ibid.* vt adeo mirum non ſit, hanc dignitatem presbyteris ſaepius collatam eſſe.

Sicut primus inter presbyteros eccleſiae cathedralis dicebatur archipresbyter (ſup. §. 258.) inter diaconos ita qui iuſſu epiſcopi primum locum obtinebat, archidiaconus adpellabatur, cuius munus proprium in eo ſitum erat, vt praeeſſet diaconis, ſubdiaconis, reliquorumque minorum ordinum clericis, vt horum officia dirigeret, moribus ſingulorum inuigilaret, cuſtodiret vaſa ſacra, aliaque plura perageret, quorum ſimplici etiam diacono cura incumberet. *diſt. XXIII. can.* 1.

§. CCLXIV.

Eorum poteſtas.

Vicaria eorum poteſtas plura complectebatur capita, veluti 1.) quod ordinandos examinent, eosque ſiſtant epiſcopo: 2.) curam cleri in parochia exiſtentis gerant: 3.) reparationi eccleſiae inuigilent, 4.) eccleſias banni ſui viſitent, non tamen ſine epiſcopi ſui conſenſu, 5.) abbates, abbatiſſas, parochos corporaliter inſtituant, 6.) iurgia epiſcoporum etiam contra archipresbyterum mota audiant, 7.) iurisdictionemque exerceant, vnde *fori archidiaconalis* origo repetenda, quod in prima inſtantia, idque in cauſis duntaxat leuioribus exer-

cent;

cent; atque haec caussa praecipua est incrementi, quod ad potestatem eorum postea maius, quam vt aetatem ferret, accessit. *vid. cap.* 1. 2. 7. *et vlt. de offic. archid.* CONCIL. TRIDENT. *sess. XXIV. de reform. cap.* 3. *cap.* 6. *de instit.*

VAN ESPEN *de iur. eccles. P. I. tit. XII. cap.* 1. Ceterum curam committere animarum, quam institutionem authorisabilem vocant, non possunt: neque excommunicare, nisi eam potestatem consuetudine consecuti sint. Interdictum quoque iis est, poenam pecuniariam pro excessibus seu laicorum, seu clericorum poenitentiae loco exigere: quod si fecerint, in vsus eam pios conuertere iubentur. *vid. cap.* 4. 5. *de offic. archid. cap.* 3. *de solut. cap.* 1. *de eo, qui furt. ord. susc. cap.* 3. *de poen.* CONCIL. TRIDENT. *sess. XXV. cap.* 3. *de reform.*

§. CCLXV.

Et status hodiernus explicatur.

Sed iam coerceri nimia archidiaconorum potestas satis haud poterat; vnde factum est, vt in plerisque dioecesibus aut infracta sit eorum potestas, aut omnino sublata, ita, vt in plerisque ecclesiis honorem duntaxat in capitulo habeant sine administratione reali, quem personatum adpellare receptum est. Vbi tamen adhuc eorum viget auctoritas, ea non tam ex iure communi, quam ex singulorum episcopatuum formula aestimari debet.

§. CCLXVI.

II.) VICARII GENERALES seu OFFICIALES.

Itaque a seculo XII. maior vsus esse coepit *vicariorum datorum*, qui iurisdictione episcopali praeessent, quique VICARII IN SPIRITVALIBVS, seu OFFICIALES promiscue dicuntur. TRIDENT. *sess. XXIV. cap.* 16. *de reform. cap.* 2. *de regular.* et quidem aut *generales*, quibus per vniuersam dioecesin, aut *speciales*, dicti etiam *foranei*, quibus per aliquos dioecesis districtus in certis causis iurisdictio commissa. *cap.* 2. *de rescript. in clement.*

Vocamus eos vicarios episcopi *in spiritualibus*, ad distinctionem *suffraganei*, seu *vicarii in pontificalibus* (sup. §. 262.) Secundum ius commune, vt iam innuimus, vicarius et officialis episcopi pro eodem sumuntur; alibi tamen, *officialis* vocatur qui ad iurisdictionem contentiosam; *vicarius*, qui ad voluntariam in dioecesi administrandam constitutus est. VAN ESPEN *P. I. tit. XII. cap.* 4. *et* 5. Itemque ex duobus eiusmodi vicariis *officialem* adpellant eum, qui causas matrimoniales et decimales cognoscit. *Vicarium* vero, qui alias iurisdictionis episcopalis partes obit. ZECH. *Hierarch. tit. XXVII. §.* 314.

§. CCLXVII.

Eorum potestas.

Est itaque OFFICIALIS seu VICARIVS GENERALIS *persona ecclesiastica, quae vice episcopi per vniuersam dioecesin iurisdictionem administrat, eiusque vices in consistorio seu tribuna-*

bunali episcopali gerit. Vnde consequitur 1.) iurisdictionem vicarii seu officialis esse *generalem*, cui etiam subordinata sunt iudicia vicariorum foraneorum, (sup. §. 266.) vel archidiaconorum (sup. §. 265.) vbi hi supersunt. *cap.* 3. *ſſ.* 1. *de adpellat. in VI.* 2.) vnum esse tribunal episcopi et vicarii generalis ac ab huius sententia ad pontificem vel archiepiscopum adpellari oportere *cap.* 2. *de consuet. in VI. cap.* 3. *de adpell. in VI.* 3.) potestatem vicarii generalis ad omnia ea sese exporrigere, quae ad *ordinariam* episcopi iurisdictionem pertinent, 4.) exceptis tamen iis, quae speciale mandatum exigunt, quaeque verosimile non est, episcopum aliis commissurum. *cap.* 4. *de procur. in VI. cap.* 2. *et* 3. *de offic. vicar. in VI.*

§. CCLXVIII.

Potestatisque limites describuntur.

Atque hinc reddi ratio potest, cur 1.) actus iurisdictionis episcopo specialiter delegatae vicarii potestate haud comprehendantur: nec sub generali commissione veniant, 2.) collatio beneficiorum, 3.) potestas inquirendi, corrigendi, aut puniendi quorumdam excessus, seu a beneficio, officio, aut administratione amouendi, 4.) dispensandi, 5.) admittendi resignationes beneficiorum, 6.) auctoritatem interponendi in alienationibus bonorum ecclesiasticorum, 7.) faciendi potestatem episcopis vicinis ordinandi clericos dioecesis episcopo

abſente, 8.) in caſibus epiſcopo reſeruatis diſpenſandi, 9.) vniendi beneficia, vniones reſcindendi, 10.) dandi licentiam exſtruendi monaſteria, et eccleſias, 11.) ius faciendae gratiae in delictis, 12.) de crimine haereſeos cognoſcendi, 13.) indulgentias concedendi, aliaque eius generis, quae epiſcopo reſeruata cenſentur, ſtatutisque ſynodalibus determinari ſolent, *Vid. cap.* 2. *et fin. de offic. vicar. in VI.* CONCIL. TRID. *ſeſſ. XIII. de reform. cap.* 4.

LEVREN. *de vicar. epiſcop.* Ceterum, quum vicarii poteſtatem ſuam alieno beneficio teneant, vſus ſingularum dioeceſium hac in re conſulendus eſt, videndumque, quid quantumue in eorum ſingulis impertiri vicariis ſuis ſoleant epiſcopi, a quorum arbitrio pendent.

§. CCLXIX.

Iurisdictio eorum an ordinaria, an delegata ſit, diſcutitur?

Diſputare ſolent canoniſtae, an vicariorum generalium iurisdictio ordinaria ſit, an delegata? Rectiſſime ſentiunt, qui vtrumque adfirmari poſſe docent. Quum enim iurisdictio vicarii ſit generalis, ad vniuerſas cauſas epiſcopales extenſa, ipſique competat ex regula *per commiſſionem officii generaliter factam, cap.* 3. *de offic. vicar. in VI.* opponitur vtique iurisdictioni delegatae, quae extra ordinem cuidam defertur, atque hoc ſenſu eſt *ordinaria.* Quoniam vero ea beneficio tenetur alieno ac nomine epiſcopi exercetur, a quo reſtringi

pro

pro arbitrio poteſt et reuocari, eatenus *vicariam* illam fore ac *delegatam* in conſpicuo eſt. Conſtat ſimul, quo ſenſu *ſolus epiſcopus* ex vero dici poſſit *ordinarius*.

§. CCLXX.

Qualitates eorundem.

Muneris obeundi grauitas ſingulares in vicario generali dotes exigit. Oportet enim eſſe clericum, qui annum quintum, et viceſimum aetatis adtigit, moribusque idoneis, theologiae, aut iuris canonici gradu doctorali vel licentiatus ſit inſignitus. Quod autem originarium dioeceſis excludi volunt, vſu non ſeruari ſatis conſtat. *Vid.* Cavs. *XVI. q. VII. can.* 22. Concil. Trid. *ſeſſ. XXIV. cap.* 16. *de reform.*

§. CCLXXI.

Et modi, quibus eorum poteſtas finitur, deſcribuntur.

Modi, quibus vicarii poteſtas finitur, ſunt varii. Ceſſat enim, 1.) extincta epiſcopi poteſtate adeo, vt ne inchoata iam negotia peragere poſſit, 2.) morte aut renunciatione ipſius vicarii, 3.) Reuocatione ab epiſcopo facta, ac vicario intimata. Quod ſi epiſcopi iurisdictio excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto ſuſpendatur, vicarii quoque generalis

pote-

poteſtatem interim non eſſe efficacem facile intelligi poteſt.

§. CCLXXII.

Habent porro epiſcopi vicarios in temporalibus.

In Germania noſtra epiſcopi duplici gaudent perſona: *epiſcopi* et *principis ſecularis.* Quemadmodum igitur *qua epiſcopi vicarios* habent *in ſpiritualibus*, ita et *officiales* conſtituunt, qui *tribunalibus ſecularibus* praeſunt, a quibus ad ſuprema imperii tribunalia adpellatur, prohibito omni recurſu ad curiam romanam, aut nuncios apoſtolicos. *Vid.* REC. IMP. *de an.* 1654. *§.* 164. *et* CAPITVLAT. IOSEPHI *II. art.* 14.

§. CCLXXIII.

In regenda tota dioeceſi epiſcopo adſiſtere deberent canonici cathedrales.

De vicariis epiſcoporum hactenus: nunc *de conſiliariis.* Equidem in regenda tota dioeceſi cum epiſcopo conſilia ſua conferre deberet *capitulum canonicorum eccleſiae cathedralis*, quod *eccleſiae ſenatum conſtituit.* TRIDENT. *ſeſſ. XXIV. cap.* 12. *de reform.* De illius ergo origine et natura dicendum hic foret, niſi materiam iſtam in librum III. ſub titulis IX. X. XI. Raymundus poſuiſſet, quamque ibidem et nos pertractauimus.

§. CCLXXIV.

§. CCLXXIV.

Qui tamen ipsi vicarios habent.

Remissa in canonicatibus residendi obligatione, vicariis opus eis fuit, qui absentium vice in choro defungerentur, remque diuinam eorum nomine peragerent. Hac ratione *vicarii* isti *canonicorum* in collegiis introducti sunt etiam *perpetui*, quibus vicariae titulo certi reditus adsignati sunt, instar beneficiorum censendi adeo, vt pro arbitrio remoueri haud possint. *cap.* 3. *de offic. vicar. cap.* 27. *de rescript.* Quum autem officio perpetuae residentiae adstringantur, euidens est, neminem eorum plures habere vicarias posse; substituendi enim potestate non gaudent. *cap.* 1. 2. 4. 6. *de offic. vicar.*

Cum vicario confundendus non est *coadiutor canonici*, qui huic adhuc viuenti adiungitur cum spe succedendi ita, vt mortuo eo, cui datus est, reapse canonicus existat. Neque enim hic ad residendum obstrictus est, aut ad recitandas horas canonicas, neque ad possessionem admittitur, nisi defuncto demum canonico, cui successor datus est.

§. CCLXXV.

Inter canonicos dignitate eminet I.) PRIMICERIVS.

Inter canonicos cathedrales multi sunt officiis dignitatibusque ornati. Est inter ipsos, qui PRIMICERIVS audit, eoquod in ecclesiis sit

ſit canonicis et aliis clericis praefectus, atque cantoribus inſtituendis et docendis ad cantum in choro deſtinatus, veluti *primus in choro*, et *primus in cantu. can.* 1. *§*. 13. *diſt. XXV. cap. vn. de offic. primicer.* Quare etiam Primicerivs *ſcholae cantorum*, et interdum *praecentor*, hodie vero *cantor* nominatur. *cap.* 6. *de conſuetud.*

§. CCLXXVI.

Eius officia.

Eius officia in his conſiſtunt, 1.) choro praeeſſe, vt ibidem canonicos reliquosque clericos et miniſtros in peragendo diuino officio ſeu horis canonicis dirigat, 2.) adeoque modum diuinas laudes decantandi et pſallendi ordinem determinare, veluti, quis e numero cleri, quamque diuini officii partem dicere debeat, 3.) porro ſilentium in choro indicere, riſus et colloquia cohibere. Paucis 4.) curare, vt officia diuina grauiter et ordinate Altiſſimo perſoluantur. Inde *chori epiſcopus* aliquando in canonibus vocatur.

Vid. Fermosinvs *in comment. ad tit. de offic. primicer. q.* 1. *num.* 19.

§. CCLXXVII.

II.) Sacrista.

Ad diurnum cultum rite, et quantum patitur humana infirmitas, Deo digne obeundum re-

requiruntur rerum variarum adparatus, qui ſub nomine *theſauri eccleſiae* veniunt, et in *ſacrario*, quod vulgo *ſacriſtiam* vocant, adſeruantur. Inde officium et dignitas SACRISTAE promanauit, ad cuius curam ergo pertinet cuſtodia ſacrorum vaſorum, veſtimentorum eccleſiaſticorum, ſeu totius theſauri eccleſiaſtici, nec non quae ad luminaria pertinent, ſiue in cera, ſiue in oleo. *cap. vn. de offic. ſacriſt.* vnde etiam *theſaurarii* vel *cimeliarchae* nomen obtinet.

§. CCLXXVIII.

III.) CVSTOS.

CVSTOS ex iure decretalium *cap.* 1. *et* 2. *de offic. cuſtod.* eſt ſubordinatus ſacriſtae et deputatus ad cuſtodiendas res eccleſiaſticas leuioris momenti. Idem quoque in horis canonicis campanam iuſſu archidiaconi pulſat, lampades accendit et extinguit: panem et vinum paratum miſſae ſacrificio habet.

Ex conſuetudine autem eccleſiarum Germaniae cuſtodi, qui in eccleſiis cathedralibus *ſummus cuſtos* dicitur, incumbit ſuprema cura cuſtodiendi pretioſa vaſa, veſtimenta et reliquum theſaurum eccleſiae; ei tamen ſubordinati ſunt clerici alii et laici, quos *aedituos* aut *ſacriſtas* dicimus. De reliquis dignitatibus capitulorum vid. VAN ESPEN *p. I. tit. XI.*

§. CCLXXIX.

§. CCLXXIX.

In regendis partibus dioecesis episcopum iuuant PAROCHI.

In regendis partibus dioeceseos episcopo adsistunt, operasque suas in curanda animarum salute collocant PAROCHI, de quibus vt nunc dicamus, ratio ordinis exigeret, nisi in lib. III. ad tit. XXIX. id ad ductum Raymundi a nobis factum esset.

§. CCLXXX.

Et VICARII PERPETVI.

Sed de horum quoque *vicariis perpetuis*, qui ex vnione beneficiorum necessarii euaserunt, pauca hic dicamus. Quum enim vnitorum beneficiorum cura vni eidemque incumbat, saepe alterutrius, aut etiam omnium curam per *vicarios*, quos in *diuinis* adpellamus, *perpetuos* exercent, id quod potissimum vsuuenit, quum monasteriis, praelaturis, aut canonicatibus parochiae vnitae sunt. Ipsi quippe praelati, quum superesse curae nequeant, eam aliis mandant, parte aliqua fructuum relicta. vid. *cap*. 12. 30. *de praeb. cap*. 2. *suppl. negl. prael.*

§. CCLXXXI.

§. CCLXXXI.

Parochorum loco ab episcopo admissi.

Ceterum ad officium Episcopi pertinet, ne quem vicarium sibi praesentatum recipiat, nisi portione congrua vicario perpetuo adsignata. Quod si id facere praesentantes negligant, dioecesanus ex officio congruam determinat. *cap. 12. et 30. de praeb. et clem. 1. de iure patron.*

§. CCLXXXII.

De clero regulari remissiue.

De clericis nostra incoepit tractatio (sup. §. 125.) sunt vero clerici vel *seculares* vel *regulares*. Horum insignis est splendor in ecclesia non solum vniuersim, sed speciatim quoque in hierarchia, si ad istorum superiores, veluti abbates et ministros generales respicias. Quare DE CLERO REGVLARI nunc agendum esset; sed id in libro III. ad tit. XXXI. XXXV. et XXXVI. praestabimus.

§. CCLXXXIII.

De moribus clericorum remissiue.

In omnibus tandem clericis singularis requiritur MORVM HONESTAS; *Non solum episcopi, presbyteri et diaconi debent magnopere prouidere, vt cunctum populum, cui praesunt, conuersa-*

tione, sermone et scientia praecedant; verum etiam et inferior gradus exorcistae, lectores, acolythi, aeditui, et omnes omnino, qui domui Dei seruiunt: quia vehementer ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse, quam clericos can. 21. *VIII. q. I.* Et viciſſim populus eos magis diſcet reuereri, quo illos vita honeſtiores cognouerit. TRIDENT. *ſeſſ. XXV. cap.* 14. *de reform.* Porro omnes clerici, quibus officium eccleſiaſticum contigit, iſti ſedulo incumbant, atque miniſterium iniunctum per ſe ipſos peragant, et in loco eiusdem peragendi reſideant, neceſſe eſt. Verum hac de re plura ad libr. III. tit. I. II. L. et IV. diximus.

TITVLVS XIV.

DE

AETATE ET QVALITATE ET ORDINE PRAEFICIENDORVM.

§. CCLXXXIV.

In promouendis ad gradus hierarchicos requiruntur.

Poſtquam hierarchiae eccleſiaſticae gradus omnes conſiderauimus, ordo depoſcit, vt iam vias exponamus, queis ad eiusmodi dignitates ſacras iure peruenitur. Praemittenda autem eſt generalis doctrina de qualitatibus eorum, qui

qui ad dignitates vel alia officia ecclesiastica promouendi sunt.

§. CCLXXXV.

I.) AETAS *certa.*

Quod ad AETATEM adtinet, de ea ita cautum est 1.) ad *episcopatum* requiruntur anni aetatis triginta, *cap.* 7. *de elect.* eadem aetas ad *cardinalatum* exigitur; TRIDENT. *sess. XXIV. cap.* 1. *de reform.* quod tamen a SIXTO V. in *constitut.* POSTQVAM VERVS. ita mutatum est, vt hodie sufficiat aetas presbyterio vel diaconatui intra annum suscipiendo idonea, 2.) ante annum decimum quartum nemo obtinere potest vllum beneficium, etiam simplex TRIDENT. *sess. XXIII. cap.* 6. *de reform.* 3.) nemo promoueatur ad dignitates, animarum curam adnexam habentes, vel ad paroeciales ecclesias, aut vicarias, quas vocant perpetuas, nisi qui annum aetatis saltim vigesimum quintum adtigerit, *cap.* 7. *de elect. clement. vn. de offic. vicar.* TRIDENT. *sess. XXIV. cap.* 12. *de reform.* 4.) ad alias vero dignitates ad curam animarum non adstrictas clerici viginti duobus annis non minores adsumantur, 5.) nemo dignitatem, personatum, officium vel praebendam, cui certi ordines sunt adnexi, obtineat, qui non sit eius aetatis, vt infra annum promoueri possit ad huiusmodi ordines requisitos. *clement.* 2. *h. t.*

§. CCLXXXVI.

§. CCLXXXVI.

II.) Ordo *debitus.*

Circa Ordinem constituunt sacri canones, 1.) neminem valide recipere beneficium ecclesiasticum, nisi sit clericus, id est, prima saltim tonsura initiatus, *cap.* 6. *de transact. cap.* 2. *de instit.* 2.) si beneficium exigit certum ordinem, veluti parochialia et curata officia, eum oportere intra annum suscipi cautum est. *cap.* 14. *de elect. in VI.* 3.) *in omnibus vero ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant adnexum ordinem presbyterii, diaconatus vel subdiaconatus.* Trident. *sess. XXIV. cap.* 12. *de reform.*

Ad beneficium parochiale olim requirebatur subdiaconatus actu habitus *cap.* 5. *h. t.* hodie siue per rescriptum pontificis quis promoueatur *cap.* 8. *de praeb. in VI.* siue alio modo sufficit clericatus, modo intra annum suscipiatur presbyteratus. Ceterum si intra annum ab obtenta pacifica beneficii cuiusdam possessione requisitus ordo absque iusto impedimento non suscipiatur, priuatio beneficii parochialis vel vicariae perpetuae ipso iure incurritur, aliorum autem beneficiorum, etiam curatorum saltim per sententiam iudicis *cap.* 1. *h. t. cap.* 14. 35. *de elect. in VI.* Quod *Tridentinum loc. cit.* de ordine canonicorum cathedralium sanxit, non seruari in Germania satis exploratum est: interim vt canonicus suffragio gaudeat in capitulo, subdiaconus sit necesse est.

§. CCLXXXVII.

III.) QVALITATES *aliae.*

Inter alias QVALITATES promouendorum requiritur, 1.) vt, qui eſt in minoribus ordinibus, habeat intentionem retinendi ſtatum ſuum, 2. qui eſt idoneus repertus ad ſacros ordines, regulariter cenſetur idoneus ad obtinendum beneficium eccleſiaſticum, niſi quis poſtea ſe reddiderit indignum *cap.* 13. *h. t.* 3.) inſuper TRIDENT. requirit in quibusdam gradum doctoratus vel licentiatus ex theologia aut iure canonico vel ſaltim publicum alicuius academiae teſtimonium nempe *in epiſcopis ſeſſ. XXII. cap.* 2. in *canonico ſcholaſtico ſeſſ. XXIII cap.* 18. *in poenitentiario ſeſſ. XXIV. cap.* 8. *in vicario capituli ſede vacante ibid. cap.* 16. *in archidiacono ibid. cap.* 12. *de reform.* 4.) hortatur eadem ſynodus *loc. cit.* vt ſaltim pars dimidia canonicatuum cathedralium et in collegiatis inſignibus conferatur tantum magiſtris vel doctoribus in theologia vel iure canonico. At vero iſta in Germania obſeruari non poſſunt.

Haud raro aliae quoque neceſſariae ſunt qualitates vi fundationis, ſtatuti aut conſuetudinis, quo ex genere illa eſt, ne ad canonicatus aut dignitates admittantur, niſi quorum illuſtrem originem famoſae commendant imagines. Quod ſtatutum an improbandum ſit quaeritur? Vid. *P. III.* §. 204. *in ſchol.*

TITVLVS V.

DE

POSTVLATIONE.

TITVLVS VI.

DE

ELECTIONE ET ELECTI POTESTATE.

§. CCLXXXVIII.

Modus conferendi poteſtatem ſacram nec diuina.

Diuinus eccleſiae fundator diſcipulos ſuos ipſe quidem euocauit, et ex his duodecim ſibi elegit Apoſtolos et primos epiſcopos; MARC. *III.* 13. 14. at modum et formam deinceps alios ad id muneris eligendi, et poteſtatem ſacram conferendi nuſpiam ab illo conſtitutam fuiſſe reperies; itaque rem hanc totam eccleſiae arbitrio relictam eſſe conſtat. vid. *P. I. ſect. I.* *§.* 72. 81.

§. CCLXXXIX.

Nec apoſtolica lege determinatus eſt.

Neque Apoſtoli certa lege negotium iſtud definiuerunt, quodque ipſis ſubinde in eodem pla-

placuit, non eſt vniusmodi. Ita in electione MATHIAE ſortibus vtebantur ACT. *I.* 15. *ſeq.* *ſeptem diaconos* diſcipulorum multitudo elegit. ACT. *VI.* 2. *ſeq.* Plerumque vt quisque Apoſtolorum nouam aliquam plantauerat eccleſiam, ipſe pro ſua auctoritate epiſcopum eidem dabat, dariue curabat *I. ad* TIMOTH. *IV.* 14. *I.* 18. *ad* TIT. *I.* 5. ACT. *XIV.* 20.

§. CCXC.

Eligebantur adeo epiſcopi in ſynodo prouinciali, ſuffragante clero et populo.

Proxime ſubſequens eccleſia, dum incredibili, vt par erat, ſollicitudine cauebat, vt dignitates eccleſiaſticas digniſſimi conſequerentur, hoc modo, vbiuis ferme mox recepto, epiſcoporum electiones inſtituere conſueuit. Scilicet eligebantur illi a ſynodo prouinciali per metropolitanum conuocata, clero ſimul populoque vniuerſo in ſuffragii partem vocato S. CYPRIAN. *epiſt.* 68. alias *lib.* I. *epiſt.* 4. Quae ratio adeo ſe probauit, vt ALEXANDER SEVERVS IMP. ipſe gentilis licet, ſibi hoc exemplum imitandum in conſtituendis imperii ſui miniſtris proponere haud dubitaret. LAMPRID. *in vit. cap.* 45.

De populi in electione auctoritate quaeritur, vtrum ex *iure diuino*, ac praecipuas quidem in ea partes obtineat? Quod placuiſſe non nullis video. vid. DAVID. BLONDELL. *de iur. pleb. in regim. eccleſ. et in apolog. pro ſentent.* HIERONYM. ſed ſi antiquitatem ſequimur, patrumque auctoritatem, ea me-

rito ſententia reiicitur. vid. BELLARM. *lib. I. de cleric. cap.* 7. NATAL. ALEXAND. *hiſt. eccleſ. tom. III. diſſert. VIII.*

§. CCXCI.

Clerus populusque teſtimonium ſolum ferebant.

Cuiusmodi vero auctoritatis et indolis fuerit illa *cleri populique ſuffragatio* : mirum, quantum eruditi inter ſe diſſentiant. Plerique nullam aliam vnquam poteſtatem ei conceſſam fuiſſe ſtatuunt, niſi dandi teſtimonium perſonae electae, aut contradicendi, ſi quas iuſtas habeat atque idoneas exceptiones, ne ſcilicet paſtorem ſubditi acciperent ignotum, aut inuiti *can.* 36. *diſt.* 62. Qua ex ratione ſuffragationem iſtam non magis in epiſcopis eligendis, quam in presbyterorum ordinatione ab epiſcopo peragenda neceſſariam fuiſſe ſatis conſtat.

Plus alii, alii minus clero populoque tribuunt. Imo inter ipſum clerum et populum diſcrimen ſtatuit THOMASSINVS exiſtimans, potiores fuiſſe in epiſcopi electione partes cleri, quam populi *P. I. lib. II. cap.* 2. *et* 3. aſt PETR. DE MARCA aequo iure hac in parte vſos fuiſſe clerum ciuitatis et populum arbitratur *lib. VIII. cap.* 2.

§. CCXCII.

Ipſam electionem epiſcopi et metropolitanus peragebant.

Qualiscumque autem fuerit cleri inferioris populique auctoritas, id tamen contendimus, ſuffragia eorum iudicio epiſcoporum com-

pro-

prouincialium subiacuisse, quorum erat diiudicare, idoneus ne foret, vtilisue ecclesiae is, quem clerus populusque expeteret. Ipsos vero in episcopos praecipuae metropolitani ea in re partes erant, citra cuius vel praesentiam vel adsensum electio ordinatioue episcopi fieri non poterat. *can.* 6. *dist.* 61. *can.* 2. *dist.* 62.

§. CCXCIII.

In oriente IVSTINIANVS *populum fere exclusit.*

Enimuero, quum facile possint pauci aliqui mercede, et pretio corrupti in ecclesia seditionem mouere, vt aliquem velint habere episcopum, vt habet *can.* 2. CONCIL. SARDIC. atque etiam experientia docuerit, non sine graui tumultu peractas a plebe electiones fuisse, vt docet S. CHRYSOSTOMVS *lib. III. de sacerd. cap.* 15. his vt obuiam iret ecclesia in oriente plebs ab electione remota est. *can.* 6. 8. *dist.* 63. admissis tantum optimatibus et honoratioribus, qui vna cum clero tres deligerent, ex quibus metropolita, quem dignissimum crederet, designaret. *l.* 42. *cod. de episc. et cler.* NOVELL. 123. *cap.* 1. *et* NOVELL. 137. *cap.* 1.

§. CCXCIV.

In occidente per interuentores turbae cauebantur.

In ecclesia *latina* huic malo medela quaerebatur in officio *interuentorum*, quorum erat

maturam noui epiſcopi in vacantem ſedem electionem promouere: ſcilicet moris erat in eccleſiis romana praecipue, atque africana, vt vacante ſede epiſcopali metropolitanus cuidam epiſcoporum ſuorum prouincialium id daret negotii, vt ſeſe ad eccleſiam vacantem conferret, clerique ac populi animos ad concordiam praepararet.

Qua quidem de re, quum inter eos conueniſſet, per interuentorem rogabatur metropolitanus, vt electionem confirmaret, ordinandique cauſa ad ſynodum prouincialem veniret. vid. *can.* 16. *diſt.* *LXI.*

CCXCV.

Ex ſeculo IX. et X.

Quam dein ſeculo IX. et X. maiores noſtri tenuerint epiſcopos eligendi rationem, operae pretium eſt, hic enarrare. Vita functo epiſcopo clerus, et populus vacantis eccleſiae mittebat aliquem, qui id nunciaret metropolitano, petituro a rege eligendi facultatem. Regis iuſſu nominabat metropolitanus aliquem eius prouinciae epiſcopum, qui vacantem eccleſiam viſitaret, daretque ſedulo operam, vt quiete omnia, atque canonice peragerentur.

Hoc genus *viſitatorum* iam ſeculo IV. in eccleſiis africanis Donatiſtarum cauſa introductum fuiſſe, quos etiam *interceſſores*, et *commendatores* adpellabant *ex can.* 22. *cauſ.* *VII.* *q.* *I.* et aliis vetuſtatis monumentis ſatis conſtat.

§. CCXCVI.

§. CCXCVI.

Forma eligendi episcopos.

Visitator iste episcopus conuocato in locum electionis omni clero, et populo trium dierum ieiunium cum precibus indixit; quibus vtilem sibi episcopum deprecarentur: adhortabatur ad concordiam, loca PAVLI *Apostoli*, et *canones*, quibus episcopi dotes, electionisque modus contineretur, praelegi iussit, atque ita omnia ad electionem pie peragendam ex praescripto metropolitani praeparabat, qua siquidem fieri potuit, semper clericorum quispiam e gremio vacantis ecclesiae ad episcopatum euectus est.

Graue monitum est COELESTINI P. *in epist. II. ad episcopos Galliae cap.* 5. *ap.* GRATIANVM *dist. LXI. can.* 13. *nullus inuitis detur episcopus, cleri, plebis, et ordinis consensus, et desiderium requiratur. Tunc autem alter de altera eligatur ecclesia, si de ciuitatis ipsius clero, cui episcopus est ordinandus, nullus dignus (quod euenire non credimus) poterit reperiri.* Quam in sententiam scripsit etiam GREGORIVS *dist. cit. can. 6.*

§. CCXCVII.

Describitur.

Tum porro peracta electione, decretum commune electionis sigillo praecipuorum de clero, et populo munitum ad metropolitanum missum est adiuncta de consecratione perficienda petitione. Conuocabat hic in vrbem ecclesiae va-

vacantis episcpoos prouinciae ad vnum omnes, neque cuiquam horum ab ea abesse licuit. Quos valetudo impediit, literis ad synodum missis electionem probabant.

De electionis decreto, quod dixi, id aperte probat GREGORIVS M. *lib. II. epist.* 19. 27. *et* 38. Huc etiam pertinet SYMMACHI illud *epist.* 5. *cap. VI. Decretum sine visitatoris praesentia nemo conficiat, cuius testimonio clericorum, ac ciuium possit vnanimitas declarari. ap.* PETR. DE MARCA *lib. VIII. cap.* 8. §. 13.

§. CCXCVIII.

Eo tempore summa sollicitudine electiones fiebant.

Coacta ita veluti quadam synodo metropolitanus fidem electi, doctrinam, statusque externi conditionem explorauit, sique dignus videretur, ordinauit, ritu ab eo, qui hodie vsitatus est, haud absimili, aut si extra vacantem ecclesiam confirmatio facta, vt ex causa fieri potuit, literis ad eum locum missis episcopum suscipiendum commendauit. Quae tamen antequam fierent, regum adsensus expetendus fuit, quibus integrum erat a dignitate excludere, quem minus probabant.

De quibus videri possunt THOMASSINVS *P. II. lib. II. et* PETR. DE MARCA *lib. VIII. cap.* 9.

§. CCXCIX.

§. CCXCIX.

Ius eligendi a capitulis primum vſurpatum.

Atque haec fuit electionum ratio ſeculo IX. et X. Enimuero ſub finem huius ſeculi canonici eccleſiarum cathedralium, quum omnia alia munia, tum electionis etiam curam ſuam eſſe, excluſo populo, et reliquo clero, contendebant, quod perfeciſſent, niſi abuſui CONCILII LATERANENSIS II. auctoritas obicem poſuiſſet. Cuius verba ſunt haec *can.* 28. *obeuntibus ſane epiſcopis, quoniam vltra tres menſes vacare eccleſias prohibent patrum ſanctiones, ſub anathemate interdicimus, ne canonici de ſede epiſcopali ab electione epiſcoporum excludant religioſos viros, ſed eorum conſilio honeſta, et idonea perſona in epiſcopum eligatur. Quod ſi excluſis eisdem religioſis electio fuerit celebrata, quod absque eorum adſenſu, et conniuentia factum fuerit, irritum habeatur, et vacuum. ap.* HARDVIN. *collect. concil. tom. VI. P. II. ad A. C.* 1139. *col.* 1213.

§. CCC.

Dein ſeculo XIII. ab iis pleniſſime fuit adquiſitum.

Demum ſeculo XIII. omnis eligendi poteſtas nulla iam habita cleri alterius, et populi ratione ad capitula tranſiit, a quibus electos ſecundum canones metropolitani, non iam coacta comprouincialium ſynodo, ſed ſoli confirmabant.

Do-

Docet hoc AVREA BVLLA FRIDERICI II. *de anno* 1213. *de libert. eccles.* condita, qua libere, et canonice fieri electiones praecipit, *quatenus is viduatae praeficiatur ecclesiae, quem* TOTVM CAPITVLVM, *vel maior, vel sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil desit de canonicis institutis.* Extat *in* NOSTRO CORP. IVR. PVBL. ECCLES. GERM. *pag.* 7.

§. CCCI.

Imminutum mox per reseruationes pontificum.

At enim horum decretorum, quae soli edebant metropolitae, neque prudentia, neque etiam saepe iustitia ea erat, quam quidem eorum, quae olim episcoporum comprouincialium communi iudicio conficiebantur. Inde frequenter adpellatum Romam est ad pontifices, a quibus etiam immediate confirmari consecrariue interdum petebant episcopi. Vnde porro occasio data pontificiis episcopatuum reseruationibus.

§. CCCII.

In concordatis fuit restitutum.

Hae reseruationes graues excitabant tumultus, quibus diuersa ratione hic, et alibi compositis varia eualuit episcopos constituendi ratio. In Germania ius decretalium, in concordatis nostris confirmatum obtinet, de quo iam reliquum est, vt exponamus.

Vid. INSTIT. IVRIS ECCLES. GERMAN. *cap. VII.* §. 83.

§. CCCIII.

Electiones canonicae delineantur.

Initium ELECTIONIS fit a *conuocatione*, de qua primum id tenendum est: vocandos esse omnes, qui *volunt*, *debent*, ac *possunt* adesse electioni. *cap.* 42. *h. t.* Regulariter hi, qui sunt de capitulo, eligunt, quamuis nil impediat de consuetudine alios etiam ad actum electionis concurrere. *cap* 3. *de caus. propriet. et possess.* Atque hoc tam iuri communi, quam particulari ecclesiastico Germaniae conforme esse adparet ex INSTR. PAC. OSNABRVG. vbi, *libera sit vbique capitulo, et quibus id praeterea pariter cum capitulo pro more competit tam electio, quam postulatio*, statuitur. vid. ART. V. §. 17.

§. CCCIV.

In iis iure ordinario vocem actiuam habent, qui sunt de capitulo.

Itaque 1.) VOCEM ACTIVAM *de iure communi* habent omnes et soli, qui *votum et sessionem in capitulo* ecclesiae vacantis habent et in eius exercitio sunt 2.) quare hi omnes non *praesentes* modo, sed etiam *absentes* conuocandi sunt ad electionem, si adesse possint, et velint, *cap.* 42. *et* 28. *de elect.* adeo 3.) vt non vocatus vel non vocati *de contemtu* agere valeant ad electionem etiam iam confirmatam irritandam, si nolint eam ratihabere. *cap.* 38. *et* 36. *eod.* quodsi quis 4.) absens iusto impedimento deten-

detentus sit, licet suffragium suum *per literas* dare non possit: *cap.* 46. *eod. in VI*, potest tamen 5.) constituere *procuratorem* vnum e gremio capituli, vel si illud consenserit, etiam extraneum, modo de iusto impedimento iureiurando, capitulo id exigente, fidem faciat. *cap.* 42. *eod.* imo 6.) *plures* etiam constituere procuratores fas est, at singulos *in solidum*, non quidem vt simul admittantur, sed vt melior sit occupantis conditio. *cap.* 46. *eod. in VI.*

Ceterum consuetudo et locorum longinquitas saepe efficiunt, vt absentium ratio non habeatur. *cap.* 18. *de elect.* porro cum quis nomine alterius eligit et suo, non potest diuidere suffragia in diuersos, sed conferre debet eidem personae suffragium vtrumque, *nisi de certa eligenda persona dederit sibi Dominus speciale mandatum. cap.* 46. *eod. in VI.*

§. CCCV.

Non extranei, nisi iure speciali.

Consequitur porro, *iure suffragii destitutos* esse 1.) *extraneos*, qui non sunt de capitulo, imo 2.) ex his excluduntur *impuberes. cap.* 32. *de elect. in VI.* 3.) *nondum subdiaconi. clement.* 2. *de aetat. et qual. ordin.* TRIDENT. *sess. XXII. cap.* 4. *de ref.* 4.) *nouitii* aut *laici conuersi. cap.* 32. *cit.* 5.) *regulares voti paupertatis violatores* per biennium. TRIDENT. *sess. XXV. cap.* 2. *de regul.* 6.) *mendicantes religiosi*, qui ad ordinem non mendicantium etiam cum auctoritate papae transeunt. *clement.* 1. *de regular.* 7.) *excommunicati, suspensi, aut personaliter interdicti*, qui tamen valide eligunt, si sint tolerati,

et

et aduerſus eos non excipiatur. *cap.* 16. *et* 39. *de elect.*

Iure tamen *extraordinario* poteſtatem eligendi adquirere poſſunt extranei 1.) conſenſu vnanimi capituli pro vna ſaltem vice. *cap.* 8. *et* 40. *de elect.* 2.) reſeruatione patroni eccleſiam vel monaſterium fundantis. *cap.* 23. *de iur. patron. cap.* 4. *de cond. adpoſ.* 3.) praeſcriptione quadragenaria aut bonae fidei poſſeſſione *cap.* 7. *de cauſ. poſſeſſ. et propriet. cap.* 55. *de elect.* addunt alii *priuilegio pontificis*, ſed id in Germania ob concordata non habet locum. vid. *reuerendiſſ.* RAVTTENSTRAVCH. *Inſtit. iur. eccleſ. ſect. II. cap. XVIII. §.* 715. *ſchol.* Haec autem de extraneis *clericis* intelligenda ſunt; nam *laici* iure decretalium incapaces ſunt vocis actiuae, et ne admitti quidem poſſunt absque nullitate electionis. *cap.* 51. 56. *de elect.*

§. CCCVI.

Dotes eligendorum et defectus.

Ipſe eligendus perſona idonea ſit, neceſſe eſt, in qua ſit *aetatis maturitas*, *grauitas morum*, et *literarum ſcientia. cap.* 7. *de elect.* TRIDENT. *ſeſſ. XXIV. cap.* 12. *de ref. ſeſſ. XXII. cap.* 2. *de ref.* Hinc I.) EX DEFECTV indigni ſunt 1.) nondum egreſſi trigeſimum aetatis annum 2.) illiterati 3.) deſtituti debito ordine, et 4.) generatim irregulares ex defectu. Dein II.) OB DELICTVM ineligibiles ſunt 1.) ambitioſi 2.) retinentes plura beneficia incompatibilia 3.) conſentientes in ſui electionem per abuſum poteſtatis ſecularis factam 4.) intruſi 5.) ſacrilegi 6.) ſimoniaci 7.) infames 8.) aliique ex delicto irregulares: tandem III.) *ratione* CENSV-

RAE ineligibiles sunt 1.) excommunicati, etiam excommunicatione minore 2.) suspensi ab officio vel beneficio 3.) personaliter interdicti 4.) violatores interdicti localis per celebrationem, et quidem etiamsi isti sint tolerati. *cap. 7. et vlt. de cler. excom. cap. 20. 59. de elect. cap. 1. de fil. presbyt. cap. 27. 33. de simon.* SIXTVS V. *constit.* POSTQVAM VERVS.

Indignis adcensendus non est extraneus, si vtilior ecclesiae futurus videatur. *cap. 21. de elect.* ceteris tamen paribus eligendus potius aliquis est ex gremio ecclesiae *can. 13. 16. dist. LXI. can. 19. dist. LXIII. cap. 41. de elect.*

§. CCCVII.

Electio indigni est ipso iure nulla.

Quodsi indigni electio facta sit, ea irrita est ipso iure, etiamsi canones conceptis verbis id non semper exprimant. *cap. 64. de R. I. in VI.* quibus saepius sufficit electionem eiusmodi prohibuisse, et canone repugnante electo ius omne ad praelaturam ademisse. *cap. 20. de elect.* Imo inter ipsos dignos digniorem adsumi iubent canones. TRIDENT. *sess. XXIV. cap. 1. de ref.* quibus etiam silentibus ipsa recta ratio et per eam cognita lex naturalis idem vehementissime inculcat.

§. CCCVIII.

§. CCCVIII.

Electio sede vacante solum et loco consueto est celebranda.

Electio porro facienda est 1.) sede vacante *cap.* 36. *de elect.* et, si per mortem sedes vacua sit, 2.) non ante corpus defuncti praelati sepulturae traditum, ac tertium depositionis diem. *can.* 7. *dist.* 29. *cap. XXIX. cit.* nisi forte grauis caussa festinationem exigat. 3.) intra tres menses a die notae vacationis sub poena amittendi hac vice iuris eligendi *cap.* 41. *de elect.* 4.) in loco capituli consueto *cap.* 14. *eod.*, id quod si factum non sit, etsi electio nulla haud sit, suspicio tamen inde nascitur, electionis turbulentae, et ad factiones susceptae.

§. CCCIX.

Deliberationes praeuiae, et CAPITVLATIONES.

Quemadmodum in omnibus negotiis communi suffragio definiendis fere *deliberationes* institui solent, ita in hisce quoque episcoporum electionibus eaedem vsitatae sunt, *de forma electionis*, *die electioni praestituendo*, ac CAPITVLATIONE eligendo praescribenda, quae nil aliud est, quam *norma et regula a capitulo, vel collegio ecclesiae vacantis concepta, ad quam praelatus ab eo canonice constitutus in administrando regimine ecclesiastico aut ciuili se solemni pacto iurato obstringere tenetur.*

§. CCCX.

Harum vis absque confirmatione est ambigua.

Eiusmodi autem capitulationes, si iuribus ecclesiae aut electi praeiudicent, omnino sunt illicitae et irritae, etsi iuramentum accesserit, eo quod ecclesia sede vacante careat legitimo defensore *tot. tit. ne sed vac. aliq. innou.* si vero ambiguum sit, an prosint, et non praeiudicent potius, tum *ante electionem* factae, irritae, et omni obligatione vacuae declarantur: si autem *post electionem* sint initae, earum vis suspensa manet, donec, quo ad res ecclesiam concernentes, a sede apostolica, quo ad ciuilia, ab imperatore examinatae et adprobatae fuerint.

Vid. CONSTITVT. INNOCENTII XII. *de an.* 1695. *die* 22. *Septemb.* quae incipit ECCLESIAE CATHOLICAE. *et rescriptum* LEOPOLDI IMP. in NOST. CORP. IVR. PVBL. ECCLES. GERMAN. *p.* 726. *et* 737.

§. CCCXI.

Incipit ipsa electio.

Die ipso electionis decantata ad normam CONCIL. BASILEENS. *sess. XII. cap.* 14. missa de Spiritu S. reduces ex ea electores in loco ei negotio destinato comparent cum notariis et aliis duobus testibus, doceturque omnes rite esse vocatos, adcusataque absentium contumacia sese mutuo adstringunt de eligendo digniore.

§. CCCXII.

§. CCCXII.

Cuius forma canonica est triplex I.) INSPIRATIO.

FORMA ipsa *electionis* in *cap.* 42. *de elect.* praescripta, adeoque *canonica* triplex est. *Inspiratio*, *compromissum* et *scrutinium.* INSPIRATIONIS diuinae exempla quaedam antiquitas habuit. Hodie vero per QVASI INSPIRATIONEM DIVINAM facta censetur electio, quando omnes omnino electores in loco solito congregati, sine vllo praecedente tractatu per vnanimem consensum in vnum eundemque suffragia sua conferunt. Quod ipsum admodum rarum est.

Ad diuinam inspirationem referuntur exempla FABIANI *apud* EVSEBIVM *hist. eccles. lib. VI. cap.* 29. ALEXANDRI *apud eund. lib. cit. cap.* 11. MARTINI *apud* SEVERVM SVLPITIVM *in vita Mart. cap.* 7. de quasi inspiratione recte monet ESPENIVS *P. II. tit. XXI. cap.* 4. *multum dubito, an facile esset admittenda, et probanda, ne sub praetextu huiusmodi diuini impulsus regulae electionum ab ecclesia praescriptae negligantur, et tumultuariis, et praecipitatis electionibus via aperiatur.*

CCCXIII.

II.) SCRVTINIVM.

Vsitatissima eligendi ratio est per SCRVTINIVM, quod in *cap.* 42. *de elect.* hoc modo peragi praecipitur 1.) adsumuntur tres de collegio fide digni, qui suffragia singulorum colli-

gant, inde *Scrutatores* dicti, constituuntur autem per electionem nulli adstrictam solennitati, ac proinde etiam publicam.

§. CCCXIV.

Quod, qua ratione instituendum.

2.) *Officium scrutatorum* situm est in eo, vt exquirant *secrete*, *sigillatim*, *diligenter* vota cunctorum. *cap.* 42. *h. t.* *Secrete* a scrutatoribus vota exquirenda sunt, ne palam fiat, quem quisque suffragio suo honorarit: vnde fit, vt ab electoribus singulis ita votum schedulis inscribatur, vt ipsi etiam scrutatores, a quo quodque votum profectum sit, fere ignorent. *Diligenter* cauendum, ne singuli in vrnam plures, quam vnam schedulam demittant, quae res fieri non potest, quin totam eligendi rationem confundat. Ceterum interdictum haud est, vota scrutatoribus *viua voce* edere, quod quum fit, scrutatoribus incumbit, suffragia singulorum scripto excipere, ne in obliuionem abeant, qua de causa *sigillatim* quoque exquirenda sunt vota, quia a pluribus coniunctim excipi nequeunt.

Vsitatius est, vt suffragia *scripto* dentur, ac electiones quidem *regularium*, *abbatum*, *generalium* et *abbatissarum* per vota secreta fieri SYNODVS TRIDENT. conceptis verbis praecipit, aliterque factas electiones irritas esse statuit. *sess. XXV. cap.* 6. *de regul.*

§. CCCXV.

§. CCCXV.

Et peragendum ſit.

3.) Ipſi ſcrutatores a ſe ipſis mutuo excipiunt ſuffragia, et quidem, ſi per ſchedulas vota edunt, nihil intereſt, primo, an poſtremo loco ſuffragia ſua in vrnam demittant. Contra eſt, ſi viua voce id fiat, vt ne enim in eorum ſit poteſtate, votis ſuis vim electionis eleuare, primus ante omnia a reliquis ſcrutatoribus vota excipit, hique rurſus a primo: quo facto demum ad reliquorum exquirenda vota ſeſe adcingunt.

§. CCCXVI.

Demonſtratur.

4.) *Vota* autem *certa* eſſe debent, et *categorica*, id eſt, non alternatiua, aut conditionata, aut incerta vota adeo, vt eius generis ſuffragia pro non adiectis habenda ſint, iique, qui eo modo elegerint, pro ea vice iure eligendi priuentur. *cap. 2. de elect. in VI.*

§. CCCXVII.

Idem.

5.) Quae quidem vota, quum a ſingulis excepta ſunt, tum in ſcripturam redigenda ſunt, *cit. cap.* 42. inito ſchedularum numero, vtrum congruat electorum numero. Nam alioquin comburendae ſunt ſchedulae, atque aliud

ſcrutinium inſtituendum. Quod ſi nihil ſit, *publicatio ſcrutinii* facienda eſt, quae publicatio eam habet vim, vt mutandae voluntatis poteſtas electoribus ademta cenſeatur. *cap.* 58. *de elect.*

Namque antea quidem mutare voluntatem nihil prohibet. Enimuero publicatio fit a ſcrutatoribus, vel vno eorumdem ea ratione, vt perſonae, quae ſuffragia meruerint, exprimantur, minime vero, quot, qualesque perſonae huic, illiue fauerint. Sane eligentium ſingulorum nomina exprimere nunquam conſultum eſt.

§. CCCXVIII.

Idem.

6.) Tum *collatio votorum* ſequitur, vt adpareat, in quem omnes, vel maior, vel ſanior pars capituli conſenſerit. *cit. cap.* 42. *h. t.* oportet enim, vt canonica habeatur electio, et ſaniorem partem conſenſiſſe. *cap.* 57. *de elect.* Ipſa collatio votorum, ſi ius ſpectes, eſt triplex: *numeri ad numerum*, *zeli ad zelum*, et *meriti ad meritum.* Ceterum in vſu partis maioris duntaxat haberi ſolet ratio, quum, quae fuerit ſanior, facile iudicari vix poſſit. *cap.* 57. *de elect.*

Sunt autem vota vel *abſolute maiora*, quum ſcilicet habita ratione totius capituli maior eligentium numerus conſentit: aut *reſpectiue*, quae, vt verbis vtar *cap.* 48. *et* 50. *Licet maiorem partem faciunt partium comparatione minorum, non tamen ad maiorem partem capituli peruenerunt.* Etenim quemadmodum in omnibus collegiis, ita et in capitulis numerus ab-

ſolute

ſolute maior praeualet. Ita ſe res habet, cum ex ordine electio peragitur; namque, ſi eligendus concurrat cum poſtulando, illi tertia votorum totius capituli pars ſufficit, niſi numerus poſtulantium inuentus fuerit duplo maior *cap.* 40. *de elect.*

§. CCCXIX.

III.) COMPROMISSVM.

Per COMPROMISSVM fieri dicitur electio, dum eliguntur quidam, quibus per compromiſſum electorum poteſtas eligendi confertur ita, vt vices omnium ſubeant. Ac id quidem perſpicuum eſt 1.) omnes nemine diſſentiente in hunc eligendi modum conſentire oportere *cap.* 29. *de R. I. in VI.* nihil vero refert 2.) in vnum aut plures conſentiant *cap.* 8. *et* 40. *de elect.* dein 3.) eiusdem ſint, an extranei collegii compromiſſarii, modo ſint ex numero clericorum. *cap.* 8. *cit.* qui 4.) *leges compromiſſi* exacte obſeruent, ſiquidem electionem velint ſubſiſtere. *cap.* 32. 52. *de elect. cap.* 29. *eod. in VI.* modo nihil contineant in fraudem formae a canonibus praeſcriptae. *cap.* 23. *eod. in VI.*

§. CCCXX.

Cuius, quae ſit forma.

Si 5.) plures ſint compromiſſarii, nec limitata eorum poteſtas, poſſunt iſti aliquem ex ſe ipſis eligere, et ab aliis electus poteſt ſuo ſuffragio electionem complere *cap.* 33. *de elect.* cum hic vota non ſint ſecreta, vt in ſcrutinio.

Saepiſſime tamen 6.) adhibetur *ſcrutinium mixtum compromiſſo*, vt compromiſſarii teneantur ſecreto exquirere vota omnium, et eum eligere, in quem maior et ſanior pars capituli conſenſerit *cap.* 23. 29. *de elect. in VI.* Quo caſu ea, quae in ſcrutinio ſeruanda ſunt, etiam in hac ſpecie adhibenda erunt. 7.) Quodſi indignum eligant compromiſſarii, ius eligendi ad eligentes reuertitur *cap.* 37. *eod. in VI.*

§. CCCXXI.

Quae ratio pariter explicatur.

Porro 8.) exſpirat compromiſſum inſtar mandati vel per reuocationem, re adhuc integra, id eſt, cum compromiſſarii ad ipſum electionis actum nondum proceſſerunt, factam, *cap.* 30. *de elect.* vel per lapſum temporis a capitulo aut a iure praeſcripti. *cap.* 41. *eod.* denique 9.) electio per compromiſſum facta promulganda eſt ab vno communi compromiſſariorum nomine *cap.* 21. *de elect. in VI.*

§. CCCXXII.

Electionis publicatae effectus.

Electio rite peracta ſolenniter PVBLICARI ſolet, et tum 1.) electoribus poenitere et variare iam non eſt integrum *cap.* 58. *de elect.* ſed 2.) potius electionem ipſam intra octo dies praeſentare electo tenentur *cap.* 6. *et* 16. *de elect. in VI.* qui 3.) intra menſem ab intimata electione numerandum eandem acceptare vel ei re-

renuntiare debet, amissurus alioquin ius per electionem quaesitum. *cap.* 6. *cit.* sed 4.) acceptans quasi *coniugale vinculum* cum ecclesia *spiritualiter* contrahit *cap.* 21. *de elect.* et *ius ad rem* adquirit, quo priuari nequit, nisi indignus sit, aut forma canonica electionis neglecta. *cap.* 3. *de elect.*

§. CCCXXIII.

CONFIRMATIO *definitur.*

CONFIRMATIO *electionis* est *decretum superioris, quo electionem canonicam esse, praeuia eius cognitione et probatione declarat.* Itaque peti debet a superiore immediato; qua ex caussa praelati mediati eam petunt ab ordinario: ipsi episcopi olim a metropolitano CONCIL. NICAEN. *can.* 4. sed haec metropolitarum potestas iam dudum in desuetudinem abiit: sancitum est in CONCORDATIS *Germaniae* §. 3. *si electiones canonicae fuerint, papa eas confirmet, ni ex rationabili, et euidenti caussa, et de fratrum consilio de digniori, et vtiliori persona duxerit prouidendum.*

Episcopi, et praelati A. C. addicti nulla confirmatione indigent, si sint immediati: sed postquam intra annum electionis suae fidem fecerint, et iuramenta regalibus consueta feudis praestiterint, absque vlla exceptione inuestiri debent. Sancitum praeterea, vt vltra taxae ordinariae summam insuper eiusdem dimidium pro infeudatione pendant. INSTR. PAC. OSNABR. *art.* V. §. 21. Atque istud quidem in electione concorditer facta obtinet. Quod si enim dissidia circa ipsam electionem orian-

oriantur, per accidens confirmatio neceſſaria eſt, eaque a Caeſare expetenda. vtpote qui in his cauſis legitimus ſtatuum A. C. addictorum iudex eſt.

§. CCCXXIV.

A quo, quando et quomodo petenda ſit, oſtenditur.

Petenda porro eſt confirmatio 1.) ab ipſo electo intra tres menſes a die acceptatae electionis numerandos. *cap. 6. de elect. in VI.* ſi autem 2.) a papa petatur, electus ad ſedem apoſtolicam iter intra menſem a die praeſtiti conſenſus arripere debet, aut per ſe, aut per procuratorem. *cap. 16. eod. in VI.* 3.) ab eodem electo aeque ac a capitulo exhibenda ſunt acta ad probationem canonicae electionis neceſſaria. *cap. 44. ibid. 4.)* confirmatione intra praeſtitutum tempus non petita, aut electione ob vitium electorum inualida reperta, locus eſt deuolutioni. *cap. 18. de elect. in VI.* CONCORDAT. NAT. GERMAN. §. 2. *et* 3.

Ex Germania ſolet publicum inſtrumentum de actu electionis a notario apoſtolico confectum, aut a capitularibus vel ſcrutatoribus ſubſcriptum ad ſedem apoſtolicam transmitti per legatum papae, aut nuntium eius prouinciae, qui etiam per ſe vel vicinum aliquem epiſcopum examen inſtituit de electi natalibus, aetate, doctrina, moribus fideique profeſſionem ab eodem exigit ad normam CONSTITVT. GREGORII XIV. *de an.* 1592. ONVS APOSTOLICAE. vid. TRIDENT. *ſeſſ. XXII. cap.* 2. *ſeſſ. XXIV. cap.* 1. *de reform.*

§. CCCXXV.

§. CCCXXV.

Effectus confirmationis recensentur.

Effectvs *confirmationis* sunt 1.) vinculum coniugii spiritualis fit *ratum*, et electus *ius in re* consequitur. *cap.* 4. *de transl. episc.* hinc 2.) literis confirmationis capitulo exhibitis potestatem plenae administrationis et iurisdictionis tam in spiritualibus, exceptis iis, quae sunt ordinis episcopalis, quam in temporalibus, adquirit. *cap.* 15. *de elect. cap.* 1. *eod. extrauag. com.*

Nam ante confirmationem electus administrationi se immiscere haud potest, ni iure quaesito velit excidere, hic tamen rigor episcopis valde remotis, videlicet vltra Italiam constitutis, si electi fuerint in concordia, ita remissus est, vt dispensatiue propter necessitates ecclesiarum, et vtilitates in spiritualibus, et temporalibus administrare possint, quamuis ante confirmationem non dicantur simpliciter episcopi, sed episcopi electi. Ita disponit Innocentivs III. *in cap.* nihil est 44. *§. ceterum* 2. *de elect.* vid. Van Espen. *in iur. eccles. P. I. tit. cap. V. §.* 8.

§. CCCXXVI.

Specialia in electionibus Abbatissarvm.

In *electionibus* Abbatissarvm synodvs trident. *sess. XXV. cap.* 7. *de regular. speciatim* constituit, *vt abbatissa, et priorissa, et quocunque alio nomine praefecta, et praeposita adpellatur, eligatur non minor annis quadraginta, et quae octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si vero his qualitati-*

litatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio eiusdem ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum superiori, qui electioni praeest, videatur, quae in eodem monasterio annum trigesimum excesserit, et quinque saltem annis post professionem recte vixerit, episcopo, vel alio superiore consentiente eligatur. Is vero, qui praeest, episcopus, siue alius superior claustra monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestrellam vota singularum audiat, vel accipiat.

Quae vltima verba: *vota audiat, vel accipiat*, aperte indicant, praesidi talis electionis, siue sit episcopus, siue alius superior, ius suffragii minime competere, in hos vero ius eligendi vnanimi consensu monialium transferri, et compromitti posse, et iuri *cap.* 43. §. *ceterum* 2. *de elect. in VI.* et rationi consonat, quia ad euitandas discordias in electionibus praesertim monialium facile orituras remedium compromisso aptius dari nequit. Plura in electionibus abbatissarum notatu digna suppeditabit saepe *cit. cap.* INDEMNITATIBVS 43. *de elect. in VI.*

§. CCCXXVII.

Et ROMANI PONTIFICIS *recensentur.*

Electio ROMANI PONTIFICIS ab electione aliorum episcoporum in plurimis differt, speciatim 1.) solis cardinalibus competit ius eligendi pontificem. 2.) isti non possunt repelli ab electione praetextu alicuius censurae *clem.* 2. §. *ceterum de elect.* 3.) non opus est, vt absentes specialiter vocentur ad electionem; sed exspectantur solummodo per decem dies: non possunt

possunt autem constituere procuratorem, 4.) si electio fiat per scrutinium, requiruntur secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in conclaui clauso praesentium. 5.) post scrutinium permittitur accessus. 6.) eligendo pontifici non obstant impedimenta iuris positiui: vnde sufficientibus votis electus absque vlla exceptione ab vniuersali ecclesia romanus pontifex habendus est. *cap.* 6. *de elect.*

Editae hanc in rem constitutiones, quae in corpore iuris canonici exstant, sunt sequentes: SYMMACHI P. *ap.* GRATIAN. *can.* SI QVIS PAPA 2. *D. LXXIX.* NICOLAI *II. dist. XXIII. can.* 1. ALEXANDRI III. *cap.* LICET. 6. *de elect.* GREGORII X. *cap.* VBI PERICVLVM 3. *de elect. in VI.* CLEMENTIS V. *cap.* NE ROMANI 2. *de elect.* Reliquorum pontificum constitutiones huc pertinentes, CLEMENTIS VI. IVLII II. PAVLI IV, PII IV. GREGORII XV, et EIVSDEM *cerimoniale*, VRBANI VIII. inuenies in MEO CORP. IVR. ECCLES. NOVISSIMI *edit. nou.*

§. CCCXXVIII.

Via extraordinaria ad praelaturas est POSTVLATIO.

Via ad dignitates ecclesiasticas perueniendi extraordinaria est POSTVLATIO, quae est *electio personae defectu canonico laborantis, adnexam habens implorationem superioris de eadem persona per dispensationem ad praelaturam admittenda.* Haec postulatio *solennis* dicitur, vt distinguatur ab ea, quam *minus solennem* adpellant, de qua infra dicemus.

Ele-

Electionis et postulationis vocabulum olim promiscui et ambigui fuisse vsus videtur, praesertim iis temporibus, quibus plebis in constituendis praelatis non exigua fuit auctoritas, et a regibus *postulari* solebat, vt canonicam electionem clero et populo permitterent aut admitterent electum. *can.* 14. *dist. LXIII. can.* 16. *dist. LXI. can.* 10. *dist. LXII.*

§. CCCXXIX.

Eodem modo, quo electio, peragenda.

Qua ex definitione euidens est, 1.) postulantes consentire debere in eum, quem sibi episcopum indulgeri a superiore postulaturi sunt. Et quamquam quasi inspirationis, scrutinii, vel compromissi formae *in cap.* 42. *de elect.* praescriptae tantum ad electionem pertinere videantur, eas tamen etiam in postulatione, quae electioni de iure aequiparatur, seruandas esse, eo magis verum est, quo plus periculi imminet, ne indignus ecclesiae praeficiatur.

§. CCCXXX.

Cauendum hic est a formulis incertis votorum.

Qualiscunque autem ex his ratio teneatur, 2.) tamen non licet his, vel similibus formulis: *eligo, et postulo: postulo eligendum: eligo postulandum:* etc. vtpote incertis, et inter se pugnantibus vti, quod clare decisum est *in cap. vn. de postulat. in VI.* in dubio tamen, vtrum quis sit eligendus, vel postulandus, valet haec: *eligo et postulo, prout melius de iure valere potest. cit. cap. vn.* quod si vero certum

sit,

ſit, aliquem eſſe poſtulandum, non debet, ſub poena nullitatis, adhiberi verbum *eligo*: nec viciſſim. *cap. 4. et vlt. de poſtulat.*

§. CCCXXXI.

Quorum maiora regulariter ſufficiunt.

Atque in regula quidem 3.) hic quoque maiora ſufficiunt, niſi poſtulandus concurrat cum eligendo: quo caſu non aliter capitulum eum poſtulare, et eligendum excludere poteſt, quam ſi poſtulatus vota duplo maiora, habita totius capituli ratione nactus ſit. *cap. 40. de elect.*

§. CCCXXXII.

Poſtulatio apud ſuperiorem legitimum interponi debet.

Ipſa porro 4.) poſtulatio rite peracta inprimis praeſentanda eſt poſtulato, et ab hoc conſenſus conditionatus praeſtandus, dein interponenda eſt apud ſuperiorem, cui ius confirmandi competit, et epiſcoporum quidem apud pontificem romanum, *cap. 4. h. t.* ceterorum vero praelatorum apud epiſcopum, aut archiepiſcopum, veluti immediatum horum ſuperiorem, 5.) literis poſtulationis omnes, quibus poſtulatus laborat, canonici defectus exprimendi ſunt, quippe quum omnis poſtulationis admiſſio diſpenſationem in ſe contineat, quae ad defectus non expreſſos, tanquam ſuperiori incognitos, extendi ſalua ſtrictae interpreta-

tionis natura, quae in dispensationibus obtinet, non potest. Quin qui scienter hoc facere omittunt, praeterquam quod postulatio nulla sit, ipsi quoque pro ea vice eligendi, et postulandi iure priuantur. *arg. cap.* 20. *de elect. et cap.* 1. *et* 2. *de fil. presbyt. in VI.*

§. CCCXXXIII.

Qui admittere eum tenetur.

Postulatio, cum 6.) per modum gratiae effectum sortiatur, consequens est, vt postulatus ex ipsa postulatione, antequam sit adprobata, et *admissa*, nullum ius consequatur. *cap.* 5. *h. t.* nec administrationi sacrorum se immiscere possit *cap.* 3. *eod.* et licet postulantes, praesentatione iam facta, ob reuerentiam superiori debitam ab ea recedere amplius nequeant, *cap.* 4. *eod.* nihil tamen impedit, quin ante eam variare, aliumque eligere possint.

§. CCCXXXIV.

Idem.

Tametsi 7.) postulationis admissio, ratione habita postulati, vim non nisi gratiae obtineat; si tamen postulatio non ob merita solius postulati, sed primario quidem in bonum ecclesiae viduatae, cui ob eximias postulati dotes optime consultum iri haud vane existimatur, facta sit, tenetur superior vi iustitiae, qua ad salutem ecclesiae indubie adstringitur, postulationi deferre. *cap.* 1. *et* 3. *h. t.*

§. CCCXXXV.

§. CCCXXXV.

Effectus admissae postulationis.

Facta postulatio a superiore admissa habet eandem vim, quam habet electio confirmata; si ea vero a superiore ideo reiiciatur, quia postulatus tali impedimento laborat, in quo vel non solet, vel non potest dispensari, locus est iuri deuolutionis. *cap.* 1. *h. t. cap.* 2. *eod. cap.* 7. §. *fin. de elect. et vi* CONCORD. NAT. GERM. §. 2.

§. CCCXXXVI.

Quinam postulari non possint.

Ceterum non postulatur, nisi qui canonico quodam defectu, et quidem tali laborat, in quo superior et *possit* et *soleat* dispensare, adeoque postulari nequeunt, 1.) omnino illiterati. *cap.* 22. *de elect.* 2.) simoniaci. *cap.* 12. *in fin. et* 59. *de elect.* 3.) falsarii. *cap.* 7. *de crim. falsi*, aliique 4.) criminosi, moribusque infames. *can.* 3. *dist. L. et cap. vlt. de temp. ord. cap.* 87. *de R. I. in VI.* 5.) bigami, et spurii, siue ex damnato coitu nati. *arg. cap.* 10. *v. personae de renunc.* 6.) corpore vitiati *cap.* 21. *de elect.* et *cap.* 6. *de corp. vitiat.* praeter hos ipso iure specialiter sub grauissimis poenis postulari prohibentur minores XXV. annis ad ecclesias cathedrales, nec non religiosi ex ordine mendicantium ad ecclesias cathedralibus inferiores. *extrau. vn. de postul. inter commun.*

 §. CCCXXXVII.

§. CCCXXXVII.

Quinam possint?

Postulari autem possunt, et debent, qui vel patiuntur defectum 1.) in natalibus. *cap.* 20. *de elect.* vel 2.) ordinis, vt si ad praelaturam laicus petatur, vel in minoribus ordinibus constitutus. *can.* 10. *dist. LXI. cap.* 22. *de elect.* vel 3.) aetatis, vt qui non compleuit annum trigesimum ad dignitatem episcopalem requisitum. *cap.* 7. *et* 10. *de elect.* vel 4.) professionis in religione, vt nouitius, vel alius nunquam expresse professus. *cap.* 113. *et* 27. *de elect. et cap.* 18. *eod. in VI.* et denique 5.) qui vinculo spiritualis matrimonii ecclesiis suis sunt adstricti, vt sunt archiepiscopi, et episcopi non modo consecrati, sed etiam confirmati tantum, *cap. vlt. de postulat.* quibus etiam adcensendi sunt episcopi titulares, non autem episcopus resignatus, aut episcopi coadiutor, multo minus cardinalis non episcopus.

Ceterum hodie rariores esse postulationes constat; solent enim hi, qui eius generis aliquo defectu, in quo solet dispensari, laborant, dare operam, vt a pontifice BREVE *eligibilitatis*, vt loquimur, impetrent, quo muniti, defectus, qui electioni obstabat, ita postulatus esse censetur, vt sine ambagibus immediate eligi possint. Exemplum illustre habemus in nostra Germania, quod priori seculo contigit in ecclesia archiepiscopali coloniensi, et legi potest in Fabri Staats-Kanzley *P. XI. pag.* 752.

§. CCCXXXVIII.

§. CCCXXXVIII.

Poſtulatio ſimplex explicatur.

POSTVLATIO *ſimplex* ſeu *minus ſolennis* eſt *petitio licentiae, vt ſuperior in electionem perſonae ſibi ſubditae, nullo alias canonico defectu impeditae, conſentiat.* Hac ratione cardinales non epiſcopi. *cap.* 3. *de poſtul. praelat.* praelati epiſcopis inferiores, abbates. *cap.* 36. *de elect. in VI.* et clerici beneficiati alienae dioeceſeos. *can.* 37. *VII. q. I.* ſimpliciter poſtulantur.

§. CCCXXXIX.

NOMINATIO *regia.*

Praeter electionem et poſtulationem, in ſola fere Germania vſitatam, frequentiſſimus modus perueniendi ad praelaturas eſt NOMINATIO, vi cuius reges et principes chriſtiani in ſuis regnis et prouinciis archiepiſcopos, epiſcopos aliosque praelatos deſignant, praeſentant, et conſtituunt.

Hoc iure vtitur Gallia, Belgium, Hiſpania, Luſitania, et ſpeciatim rex Hungariae et Bohemiae et archiduces Auſtriae in prouinciis ſuis haereditariis.

§. CCCXL.

Eſt alter modus adquirendi praelaturas eccleſiaſticas.

Rex igitur ad vacantem eccleſiam cathedralem nominat virum dotibus a iure requiſi-

tis inſtructum, et eccleſiae prae aliis vtiliorem, qui examinatur, fideique profeſſionem edit. (ſup. §. 324.) acta dein nominationis Romam mittuntur, atque ipſi reges diploma confirmatorium a papa petunt.

VAN ESPEN *P. I. tit. XIV. cap. 3.*

§. CCCXLI.

CONSECRATIO *epiſcoporum.*

Quacunque ratione quis promotus fuerit ad epiſcopatum, eiusdem CONSECRATIO, qua confertur poteſtas ordinis et iurisdictionis epiſcopalis, confirmationem ſubſequitur, de qua ad ſequentia potiſſimum adtendendum eſt. 1.) ſicut confirmatio, ita etiam conſecratio, tanquam illius conſectarium, ad *iura pontificis aduentitia* pertinet 2.) eadem ſuſcipi debet intra tres menſes ab obtenta confirmatione ſub poena reſtitutionis fructuum, aut etiam amittendi ius ſuum. TRIDENT. *ſeſſ. XXIII. cap. 2. de ref.* 3.) die dominica aut in natalibus Apoſtolorum. *can. 1. diſt. LXXV.* 4.) in propria electi eccleſia, aut certe in eadem prouincia, quoad eius fieri poteſt. PONTIF. ROM. *de conſec. epiſcop.* 5.) a tribus ſaltim *epiſcopis*, *vno conſecratore* et *duobus adſiſtentibus. can.* 4 *et* 5. *diſt. LXIV.* vel ſaltem duobus abbatibus, quod hodierna eccleſiae praxis non improbat.

Olim metropolitanus cum epiſcopis comprouincialibus actum conſecrationis peragebat, et tum ex iis, qui electum praeſentabant ad conſecrandum, quaerere ſolebat: *ſcitis illum eſſe dignum?* Hodie a ſede apoſtolica commiſſarii decernuntur, ex qui-

quibus consecrator quaerit: *habetis mandatum apostolicum?* quod iam instar meriti est, et publice praelegitur.

§. CCCXLII.

Ritus *eiusdem.*

Ritus *consecrationis* praecipui sunt 1.) manuum impositio, tanquam materia ordinationis essentialis, 2.) traditio annuli? 3.) tum baculi pastoralis: 4.) vnctio chrismatis, et 5.) impositio libri euangeliorum super caput ordinandi. *can.* 7. *dist. XXIII. cap. vn. de sacr. vnct.*

§. CCCXLIII.

Et effectus *enarrantur.*

Effectus *consecrationis* sunt 1.) character ordinis episcopalis, adeoque 2.) potestas peragendi functiones ordinis episcopalis, 3.) coniugium spirituale inter episcopum et ecclesiam consummatum, quod antea erat ratum. *cap.* 4. *de transl. episcop.* 4.) vacant post consecrationem beneficia, quae antea habebat episcopus. *cap.* 7. *de elect.*

§. CCCXLIV.

Consecrandi iuramentum fidelitatis *papae praestant.*

Dum consecrantur episcopi etiam iuramentum fidelitatis sedi apostolicae praestare debent, quod omnium primus Gregorius VII. a patriarcha aquileiensi in concilio romano an. 1079. exegit, cuius formula extat

in cap. 4. *de iurei.* non absimilis illi, qua vasalli domino directo se obstringunt. *II.* FEVD. 5. 6. 7. Gregorii vestigia secuti sunt ceteri pontifices, idque iam ab omnibus episcopis, et metropolitis etiam, cum pallium eis concedunt, exigere solent. *cap* 13. *de mai. et obed.* secundum formulam a CLEMENTE VIII. reformatam et auctam. *cap.* 13. *cit.* ac pontificali romano insertam.

Vid. VAN ESPEN. *P. I. tit. XV. cap.* 2.

§. CCCXLV.

BENEDICTIO *abbatibus conuenit.*

Abbatibus consecrationis loco BENEDICTIO tribuitur, quae licet ad similitudinem consecrationis instituta sit, ab ea tamen quam maxime differt, cum absolute necessaria haud sit, sed ad maiorem solum solennitatem pertinere videatur. Suscipere eam tenentur infra annum a die eorum electionis computandum, ab episcopis, in quorum dioecesibus monasteria existunt, iuxta ritum in PONTIF. ROMAN. praescriptum. BENEDICT. XIII. *constit. de an.* 1725. Effectus est potestas exercendi ea, quae sunt veluti actus ordinis, et gestandi baculi, mitrae aliorumque pontificalium insignium.

§. CCCXLVI.

De COLLATIONE *et* INSTITVTIONE *remissiue.*

Quos hactenus recensuimus, dignitates ecclesiasticas adquirendi modos, ii praelatis duntaxat

taxat conueniunt, clericis aliis sui tituli *collatione*, aut ad illum *institutione* fere adquiruntur, de quibus in LIB. III. ad TITVLOS V, VII, VIII, XII, et XXXVIII. copiose a nobis actum est.

TITVLVS IX.

DE RENVNCIATIONE.

TITVLVS X.

DE SVPPLENDA NEGLIGENTIA PRAELATORVM.

§. CCCXLVII.

Modus amittendi officia ecclesiastica est RENVNCIATIO.

Vtrique tamen clericorum generi, et praelatis et clericis inferioribus communes sunt amittendorum beneficiorum et officiorum varii modi. AMITTVNTVR autem *ecclesiastici tituli* honeste quidem, voluntaria abdicatione, quam RENVNCIATIONEM siue RESIGNATIONEM vocant, cumque ea non nisi auctoritate superioris fieri rite possit, recte definitur, quod sit *muneris sacri spontanea ex certis caussis, et cum auctoritate superioris facta abdicatio.* vid. *cap.* 2. 3. *et* 4. *h. t.*

N 5 §. CCCXLVIII.

§. CCCXLVIII.

Sed, non ſolum qualificata.

Hac ratione duplicem faciunt renunciationem, *ſimplicem*, et *qualificatam. Illa* eſt intuitu officii ſacri, ſeu beneficii. Haec autem quoad ordinem ipſum contingere dicitur, atque ſita eſt in totali deſertione ordinis clericalis, ita, vt renuntians in ſortem laicorum deiiciatur, eaque ſolet alias *apoſtaſia ordinis cap.* 1. 3. *de apoſtat.* et *reditus ad conuerſationem ſecularem* dici. *diſt. L. can. fin.* quam prohibitam eſſe diſcimus ex *can.* 27. CONCIL. CHALCED. relato apud GRATIANVM *cauſ. XX. q. III. can.* 3. *ex cap.* 1. *et* 3. *de apoſtat.* CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXIII. de ſacram. ord. can.* 4. NOVELL. *VI. cap.* 3. *et* NOV. *CXXIII. cap.* 15.

§. CCCXLIX.

Verum etiam ſimplex regulariter eſt prohibita.

Enimuero non haec modo, ſed et omnis renunciatio regulariter prohibita eſt; titulum enim ſuum deſerere maximum ſemper piaculum habitum, eumque, qui renunciauit beneficio, vt ad illud redeat, cogendum eſſe deciſum eſt. *cauſ. VII. q. I. can.* 19. *et* 23. quum enim hic *vinculum quaſi coniugale* contraheretur, nefas eſſe credebatur, illud diſſolui vnius diſſenſu. *cap.* 21. *de elect.*

§. CCCL.

§. CCCL.

Non nisi ex certis causis permittenda.

Potest tamen renunciatio euadere licita, si iusta causa, et legitimi superioris accedat auctoritas. Ac causas quidem iustas, quum olim nullae fuerint determinatae, Innocentivs III. *in cap.* 9. *et* 10. *h. t.* enumerauit, ne disciplina ecclesiastica hoc in negotio incerta foret. Enumerat autem has 1.) instans vitae periculum. 2.) debilitatem corporis, aut senium, tale scilicet, quod officii sacri vsum impediat. *cap.* 10. *h. t. caus. VII. q. I. can.* 18. Namque senium quidem solum non sufficit *cap.* 1. *h. t.* Sed neque cogendus, vt renunciet; sed coadiutor dandus. *cap. pen. de cleric. aegrot.* 3.) conscientiam criminis. *cap.* 10. *h. t. caus. II. q. III. can.* 7. 4.) defectum scientiae *dist. XXXVIII. can.* 1. *seq.* 5.) malitiam plebis. *cit. cap.* 10. 6.) scandalum graue *ibid.* 7.) irregularitatem *cit. cap.* 10. *cap.* 7. *de elect. dist. L. can.* 56.

Quod si renunciatio sine iusta causa facta est, aut etiam iniusta prorsus, veluti pinguioris benefici consequendi, ea nulla habebatur, cogendusque fuerat redire, qui renunciauit. *cap.* 1. *h. t.* quam ob rem facile patet, de admissione renunciationis in iudicio ecclesiastico praeuia causae cognitione statuendum esse.

§. CCCLI.

Et tum fieri debet 1.) *consensu superioris.*

Quum dein renunciatio consensu superioris facienda sit, ratio perspicua reddi potest, cur

ea

ea olim in ſynodis prouincialibus facienda fuerit. *diſt. XCII. can.* 5. 6. 7. verum totum hoc renunciationis negotium inter *cauſas arduas* relatum eſt, et ſedi romanae reſeruatum. Quo fit, vt in epiſcoporum quidem et abbatum exemtorum renunciatione pontificis conſenſus neceſſarius ſit; quapropter cauſa in ſcriptis transmittenda, vt pontifex de eius admiſſione ſtatuere poſſit. *cap. fin. h. t.*

Renunciatio ſine auctoritate ſuperioris facta, nullius eſt momenti, nec ſufficit monuiſſe ſuperiorem de illa, ſed *conſenſus* huius expectandus eſt. Porro ea in manus laicorum fieri nunquam potuit, *can.* 19. *VII. q. I. cap.* 8. *h. t.* pontificem vero primatui ſuo renunciaturum nullius conſenſu opus habere *in cap.* 1. *h. t. in VI.* deciſum eſt.

§. CCCLII.

Quin et patroni et electorum.

Praeter haec neceſſarium quoque in eccleſia patronata *patroni* conſenſum, et *electorum* in eccleſia electiua eſſe, facile patet, vt ne quod eorum iuribus inferatur praeiudicium. Illud neceſſarium non eſt, vt ipſe renuncians petat, nihil enim impedit, id etiam per procuratorem fieri. *clem. vn. h. t.*

§. CCCLIII.

II.) Libere.

Oportet renunciationem praeterea *libera renunciantis voluntate* ſiue *expreſſa*, ſiue *tacita*

cita esse factam, adeo, vt coacta nullius sit momenti, isque, qui praeter voluntatem suam renunciare coactus est, pristinum in locum restituendus sit. *cap.* 5. *h. t. cap.* 2. *et* 4. *de his, quae vi metusue caus.* id, quod tamen de iniqua tantum coactione intelligendum est, non etiam de illa, quae extorta est ab eo, qui ius habuit cogendi. *Tacitae* autem renunciationis exemplum foret in clerico minoribus ordinibus initiato vxorem ducente, aut quocunque beneficiato in Germania religionem mutante. vid. *cap.* I. 3. *de cler. coniug. et* INSTRVM. PAC. OSNABR. *art. V.* §. 15.

§. CCCLIV.

III.) Pure.

Porro renunciatio *pure* facienda est. Nam sub conditione, aut in fauorem tertii, reseruata pensione, aut saluo regressu facta omni robore destituitur. *cap.* 12. *de offic. iud. deleg.* id quod de renunciatione facta in manus inferioris praelati intelligendum esse docent. Quod enim cum consensu S. pontificis etiam conditionatae renunciationes validae sint, dubium nullum esse aiunt.

Vid. VAN-ESPEN. *iur. eccl. P. II. tit.* 28. *cap.* I. id quod tamen saltem quoad renunciationem in fauorem tertii locum non habet in Germania vi CONCORD. §. *II.* et CAPITVL. CAES. *art. XIV.* §. I.

§. CCCLV.

EFFECTVS *admiſſae renunciationis.*

Admiſſa a ſuperiore renunciatio ſoluit vinculum, quod inter renunciantem, et eccleſiam intercedit. Quare fit, vt renuncians ius, quod ex electione, aut poſtulatione conſecutus eſt, amittat; *clem. vn. h. t.* adeo, vt nullus iam locus ſit poenitentiae, *cap.* 12. *h. t.* etſi quamdiu auctoritas ſuperioris non acceſſit, contrarium obtineat. *cap.* 14. *eod.*

Fieri igitur non poteſt, vt, qui renunciauit ſemel beneficio, ad illud reuertatur ſine nouo titulo, aut noua collatione, *cap.* 2. *et* 3. *h. t.* ibique GONZALEZ, quo fit, vt reuerſus auctoritate legitima in collegio vltimum locum obtineat, quaſi nunc primum collato ei beneficio. BARBOSA *de canon. cap.* 18. *§.* 16. vbi tamen excipiendus eſt is, qui iniuſta vi de ſede detruſus eſt; Hic enim, qui ex reſcripto iuſtitiae ſuum in locum reſtituendus eſt, merito omnia ſua priſtina iura recuperat, vt ſi renuncians contra renunciationem fuerit in integrum reſtitutus, qua de re vid. *can.* 7. *II. q. I.*

§. CCCLVI.

Sede quacumque ratione vacante.

Siue autem per *renunciationem* et *ceſſionem*, ſiue *morte poſſeſſoris*, aut ob *crimen*, *et per iudicis ſententiam*, quauis denique ratione, vacauerit dignitas aut beneficium, curare debent ii, ad quos ius eligendi aut conferendi pertinet, vt vacua ſedes, locusque quam primum repleatur idoneo ſucceſſore.

§. CCCLVII.

§. CCCLVII.

Mox prouisio est facienda.

Verum solet non raro negligentia committi ab iis, quibus electio, vel collatio quocunque titulo legitimo competit, quod bifariam contingere potest, nimirum si 1.) nec praescripto a canonibus tempore, nec 2.) debito modo beneficiis vacantibus prouideatur.

§. CCCLVIII.

Qua in re committi potest negligentia I.) *ratione temporis.*

Ratione TEMPORIS sanxerunt canones, ne cathedralis, aut regularis ecclesia vltra tres menses maneat viduata. *dist. LXXV. can.* 2. et *cap.* 41. *de elect.* alia vero beneficia inferioris ordinis intra sex menses sub poena deuolutionis conferri praecipiunt *cap.* 2. *et* 12. *de concess. praeb.* ac deinde in beneficiis ad patronos laicos pertinentibus quadrimestre sufficere visum est. *cap. vn. de iur. patron. in VI.*

§. CCCLIX.

Quo elapso ius prouidendi deuoluitur.

Quoniam vero tempus hoc sub poena deuolutionis adiectum est negligentibus *cap.* 5. *et* 12. *de concess. praebend.* requiritur scientia vacationis; namque tempus hoc ratione initii vtile est, non a die vacationis, sed a die noti-

tiae

tiae computandum. *cap. 3. h. t. et cap. 5. de concess. praeb.* deinde *impedimentum* etiam omne iustum abesse debet. *cit. cap. 41. de elect.*

§. CCCLX.

Nisi impedimentum iustum probetur.

Est autem impedimentum aut *facti*, si ineluctabilis necessitas obstet *can. 5. dist. LXXV.* aut *iuris*, si hi, ad quos prouisio pertinet, citra suam culpam forte suspensi fuerint. *cap. 5. de concess. praeb.* quamuis autem hoc tempus, vt modo dixi, ratione initii sit vtile, est tamen continuum in progressu adeo, vt de momento in momentum id currere dicant interpretes.

Quoniam non minus impedimentum, cuius ratione cessare dicimus deuolutionem, quam negligentia, in facto consistit, ratio iuris exigit, vtrumque ab eo, qui alterutrum adlegat, probandum esse.

§. CCCLXI.

II.) ratione modi prouidendi.

Committitur autem *negligentia in* MODO *prouidendi*, si indignus scienter ad vacans beneficium vocatus sit. Eleganter pontifex *cap. 2. de translat. episc.* ait: *iuxta communem modum loquendi illam dici ecclesiam viduatam, quae licet episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere.*

Nec minus recte S. HIERONYMVS *ap.* GRATIAN. *caus. II. q. VII. can. 29. add. cap. 2. h. t.*

§. CCCLXII.

§. CCCLXII.

Quo casu denuo deuolutioni locus sit.

Vtroque hoc casu iuri DEVOLVTIONIS locum esse statuerunt canones, quo nomine hic nobis intelligitur *translatio iuris prouidendi pro ea vice amissi in superiorem, vel eum, qui huic par ius habet, ob negligentiam in eligendo, conferendo, prouidendo commissam.* Ipsa autem deuolutio fit *gradatim*, id est, ab inferioribus praelatis ad episcopum, ab hoc ad archiepiscopum, et ita porro ad summum pontificem, et ad hunc quidem immediate, si exemtus commiserit negligentiam *cap. 3. h. t.*

Inter *episcopum*, et *capitulum* interest, an *coniunctim* competat collatio, vtrum *separatim* cuique. Et si coniunctim, vtrum *episcopo qua tali*, an *qua membro capituli.* Quod si collatio ad episcopum qua talem cum capitulo coniunctim pertineat, metropolitanus supplet. *cap. 15. de concess. praeb.* alias autem partes negligentis capituli supplet episcopus, et episcopi capitulum. *cap. 2. de concess. praeb.*

§. CCCLXIII.

Facta deuolutione idem tempus superiori datum est.

Ex quo ob negligentiam a priori collatore beneficii commissam deuolutio ad alterum facta est, huic tantum temporis spatium, quantum negligens collator habuit, ad conferendum beneficium ad se deuolutum iura nostra indulge-

re voluerunt. *cap.* 41. *de elect. et cap.* 2. *de concess. praeb.*

§. CCCLXIV.

Et negligens moram purgare non potest.

Quum denique facta deuolutione post elapsum terminum a iure definitum potestas eligendi, conferendi, prouidendi, praesentandi respectu negligentis exspirauerit, et in alterum ex dispositione iuris transierit, nemini mirum videri debet, quod illi nec celeri collatione moram purgare liceat, subsecutaque ab eo vacantis beneficii prouisio ex defectu facultatis moralis pro nulla, et inualida sit habenda. *cap.* 2. *et* 5. *h. t.* nisi alter, ad quem auctoritas prouidendi deuoluta est, cum patientia sustinere velit. *cap.* 4. *h. t.*

§. CCCLXV.

In germania negligentia papae aliquando suppletur.

Nemo nostri iuris ecclesiastici in Germania gnarus ignorare potest, beneficia *mensibus papalibus, et in curia romana per obitum beneficiati vacantia* S. pontificis collationi perpetuo esse reseruata, hac tamen addita limitatione, vt nisi haec intra mensem sint collata, de illorum vero collatione apostolica trium mensium spatio in loco beneficii facta non adparuerit, *ex tunc ordinarius vel alius, ad quem eorum dispo-*

dispositio pertinebit, libere de illis disponere possit.

Haec verba: *non adparuerit*: aliter explicat bulla GREGORII XIII. de a. 1576. aliter praxis germaniae vid. NOST. PRINCIP. IVR. ECCLES. GER. §. 86.

§. CCCLXVI.

Quoad protestantes imperator est, qui negligentiam supplet.

Ita inter catholicos. Iam de capitulis immediatis protestantium in Germania moneri meretur, ea si intra definitum tempus haud elegerint idoneum ecclesiae caput, curam prouisionis pro ea quidem vice ad imperatorem deuolui, quod analogiae iuris nostri ecclesiastici omnino congruit.

Arg. INSTR. P. O. *art. V.* §. 16. *et* 54. quod nec BOEHMER *in iur. eccles. protest. ad h. t.* in dubium traxit.

§. CCCLXVII.

Decretalistae de negligentiae variis speciebus agere solent.

NEGLIGENTIA in genere est *omissio eius, quod quis de iure vel consuetudine ratione sui muneris facere debet. can. 5. VII. q. II.* quae vocabuli significatio ansam praebuit interpretibus, vt ad praesentem de supplenda negligentia praelatorum titulum plures eius species recenserent.

 §. CCCLXVIII.

§. CCCLXVIII.

Nos de negligentia episcopi in administranda iustitia.

Nos de negligentia episcopi in administranda iustitia paucis exponemus. Qua in re, vt ordinatim procedamus, certa a dubiis erunt separanda. Certum autem est 1.), quod episcopo iurisdictio spiritualis, et ecclesiastica vere talis in omnes dioecesanos clericos et laicos competat. *cap.* 16. *de off. iud. ord. et cap.* 7. *eod. in VI.* et quamuis itidem certum sit 2.) quod episcopus suo archiepiscopo lege metropolitana sit subiectus. *cap.* II. *de off. iud. ord.* non minus tamen certum est 3.) quod metropolitanus in subditos suffraganei sibi subordinatos in prima instantia, vt loquimur, nullam habeat potestatem exercendi iurisdictionem. *cap.* 9. *et* II. *eod.* CONCIL. TRID. *sess. XXIV. cap.* 20. *de reform.* quod adeo verum est, vt 4.) pro regula sit, in archiepiscopum nullam deuolui iurisdictionem in episcopi sui subditos, nisi quantum sacri canones id concedunt. *cit. cap.* 9. *et* II. *et* CONCIL. TRID. *loc. cit.* (sup. §. 200.)

§. CCCLXIX.

Quam archiepiscopus in prima instantia supplere non potest.

His praemissis remanet dubium, an ad metropolitanum fiat deuolutio etiam in casu, quo eius suffraganeus negligentiam in administranda

da

da iuſtitia contentioſa committit ita, vt ille ſine vlla praeuia primae inſtantiae ſententia de ipſa cauſa principali cognoſcere, et iudicare poſſit? Quod negandum eſſe putamus; quum enim iuxta regulam prius traditam archiepiſcopus in ſui epiſcopi ſubditos nullam habeat poteſtatem, nec ex epiſcopi culpis ad archiepiſcopum deuoluatur iurisdictio, niſi id a iure inueniatur conceſſum. *cap.* I. *h. t. in VI.* de tali autem conceſſione generali in caſu negligentiae non conſtet: recte concluditur, quod archiepiſcopus negligentiam epiſcopi ſui iuſtitiam vel protrahentis, vel denegantis in prima inſtantia ſupplere nequeat.

§. CCCLXX.

Vt iuſtitiam epiſcopus adminiſtret iubere poteſt.

Quum autem talis negligentia epiſcopi grauamen in ſe contineat, a quo ad ſuperiorem prouocare, et adpellare licet; ſuperior autem reſpectu epiſcopi non exemti ſit archiepiſcopus, nullus dubito, quin ex capite iuſtitiae ab epiſcopo protractae, vel denegatae ad eum per viam adpellationis recurri queat, vt epiſcopum ad debitam iuſtitiae adminiſtrationem congruis adhibitis remediis cogat, et compellat.

§. CCCLXXI.

Negligentia iudicis laici.

Solent hoc loco decretalium interpretes mouere quaestionem, an iudex ecclesiasticus iudicis secularis negligentiam supplere possit, quam plerique solis principiis decretalium imbuti, earumque auctoritate freti in eiusmodi casibus, si iudex secularis causam malitiose terminare differat, *cap.* 6. *de for. compet.* vel ab arbitris communiter electis suspectus iudicetur. *cap.* 10. *eod.* vel alias per eum iustitia obtineri nequeat. *cap.* 11. *eod.* adfirmatiue sine haesitatione resoluunt, et decidunt.

§. CCCLXXII.

A iudice ecclesiastico suppleri.

Nos inhaerendo genuinis iuris ecclesiastici principiis, quae de distinctione potestatis sacrae, et politicae, vniusque ab altera independentia, et vtriusque limitibus stabiliuimus, hanc sententiam sacerdotio, et imperio periculosam, et perpetuis collisionibus inter vtrumque ferendis, et fouendis vnice aptam merito reiiciendam, et repudiandam esse iudicamus.

§. CCCLXXIII.

Nequaquam potest.

Textibus ex corpore iuris canonici depromtis eius generalis receptio auctoritatem legalem

lem conciliare non poterit, quia recipi in vim legis nequit, quod principiis iuris publici vniuersalis, et ecclesiastici nulli mutationi obnoxiis manifeste repugnat, quin imo his decretalibus opponimus alias ab iisdem pontificibus ALEXANDRO III. et INNOCENTIO III. editas, nimirum *cap.* 13. *de iud. cap.* 7. *§.* 1. *de adpellat.* et *cap.* 7. *qui filii sint legit.* in quibus hi aperte profitentur, iudicem ecclesiasticum in caussis temporalibus non esse competentem.

§. CCCLXXIV.

Sed ab eo admoneri potest.

Illud facile largimur a munere clericorum alienum non esse apud iudices seculares paterne monendo, hortando, rogando, et precando instare, vt iustitiam administrare velint, vel monitionibus, precibus, et intercessionibus nihil proficientibus eas apud ipsum summum imperantem interponere, vt magistratibus a se constitutis iustitiae administrationem commendet, et imperet.

§. CCCLXXV.

Quod vicissim obtinet.

Ex eodem principio suum cuique tribuentes fateamur oportet, quod aeque parum potestati politicae, iurisdictionis sacrae vere talis incapaci, ius supplendi negligentiam praelatorum competat.

§. CCCLXXVI.

Recursu tamen ad principem omnibus concesso.

Si tamen summus imperans ciuilis eos, quorum in manibus est cura sacrorum, sui officii admoneat, executionem canonum vrgeat, et praecipiat, vitia, et defectus in ecclesia inualescentes tollat, et emendet: hunc in finem synodos conuocet, et abusibus iurisdictionis ecclesiasticae limites ponat; omnibusque his malis conditis legibus remedium adferat, officio boni principis christiani, et protectoris ecclesiae, et defensoris populi sui omnino satisfecisse censendus est, ad quem his similibusue in casibus RECVRSVM patere, nemo principiorum iuris publici vniuersalis, et ecclesiastici gnarus ignorare potest.

Veritatem horum principiorum jam diu agnouit seculi XV. scriptor celeberrimus veritatis amantissimus CARDINALIS DE CVSA in tractatu de *concordantia catholica* vbi *l. III. c.* 13. *fol.* 794. de conuocatione concilii vniuersalis a papa regulariter facienda sermonem facit, et demum ita concludit: *dum instant vniuersalia pericula fidei, aut aliqua Christi vniuersam ecclesiam turbantia, tunc* ait, VIGILARE DEBET IMPERATOR ET FIDEI ET PACIS CVSTOS, *et romano pontifici primo synodi necessitatem insinuare, et eius consensum congregandi concilii in definito loco requirere* et paulo post *c.* 15. *fol.* 797. adhuc apertius mentem suam desuper declarat. *Non credo*, inquit, *etiam absurdum esse illud dictum, quod etiam propter curam commissam custodiendae fidei sacro imperio ipse* IMPERATOR NEGLIGENTE AVT CONTRADICENTE ROMANO PONTIFICE IMMINENTE MAGNO VNIVERSALI TVRBATIONIS ECCLESIAE PERICVLO PRAECEPTIVE POSSET SYNODVM INDICERE AD PROVIDENDVM FLVCTANTI ECCLESIAE.

TI-

TITVLVS VII.

DE TRANSLATIONE EPISCOPORVM.

§. CCCLXXVII.

Modus mutandi dignitates ecclesiasticas est TRANSLATIO.

MVTANTVR dignitates ecclesiasticae TRANSLATIONE, quae est *adsumtio personae ecclesiasticae ab vna ecclesia ad aliam canonice facta;* itaque translatio inuoluit, 1.) *renunciationem* praelaturae seu dignitatis ecclesiasticae, 2.) *prouisionem* de alia dignitate, 3.) *admissionem* tum renunciationis, tum nouae prouisionis.

§. CCCLXXVIII.

Regulariter prohibita.

Cura animarum, quae episcopis aliisque clericis incumbit, ita comparata est, vt continuum laborem exposcat, vt tempore opus habeat ad conciliandam fiduciam, ad bona opera ostendenda, ad vitae morumque probitatem vniformem seruandam: itaque prohibitas esse translationes satis constat; tum vero multo magis, si *ex auaritia* et *ambitione* sedulo quaerantur. Quod malum cum quarto

iam ecclesiae seculo inualuisset, CONCILIVM NICAENVM I. *can.* 15. omnes translationes irritas declarauit, et SARDICENSE *can.* 1. poenas grauissimas adiecit. vid. caus. VII. q. I. Quorum canones ecclesia hactenus nunquam non confirmauit, vt iam adpareat, translationem *regulariter* esse prohibitam. *cap.* 2. *de elect.*

§. CCCLXXIX.

Ob vtilitatem et necessitatem solum permittenda.

Eam tamen ob communem *vtilitatem* et *necessitatem* fieri non tantum posse, sed etiam debere, recte contendebant sancti patres: *Alia enim est caussa necessitatis et vtilitatis: alia auaritiae et praesumtionis aut propriae voluntatis. can.* 34. *VII. q. I. add. can.* 42. *et* 44. *ibid.*

§. CCCLXXX.

Ius transferendi episcopos.

Enimuero vt constaret, non sine necessitate, ipsiusque ecclesiae insigni vtilitate, translationem fieri, olim quidem causa deferenda ad metropolitanum fuerat, et synodum episcoporum prouincialium, vt constat ex *can.* 27. CONCIL. CARTHAG. relato a GRATIANO *caus. VII.* q. *I. can.* 37. qui ausu proprio ad aliam transiret ecclesiam, vtraque priuetur. *cap.* 3. *h. t.*

§. CCCLXXXI.

§. CCCLXXXI.

Ad iura pontificis.

Sed ex quo tempore ſynodi prouinciales incepere eſſe rariores, et recurſus ad ſedem romanam indies euaderet frequentior, haec quoque translationis cauſa tanquam *cauſa ardua* a ſede apoſtolica reſeruari coepit. Enimuero inter dictatus GREGORII VII. et hic refertur: *quod papae liceat de ſede ad ſedem cogente neceſſitate epiſcopos transferre.*

Vid. FLEVRY *diſc. IV. ad hiſtor. eccleſ.* §. 2.

§. CCCLXXXII.

Aduentitia pertinet.

Quid quod INNOCENTII III. aetate haec translationis reſeruatio adeo inualuerit, vt eam ipſe hic pontifex ex *iure diuino* his verbis repetendam duxerit *cap.* 2. *h. t. quum fortius ſit ſpiritüale vinculum, quam carnale, dubitari non debet, quin omnipotens ſpirituale coniugium, quod eſt inter epiſcopum, et eccleſiam, ſuo tantum iudicio reſeruauerit diſſoluendum:* conſtare vero ait porro, papam eſſe vicarium Ieſu Chriſti, adeoque *non tam inſtitutione canonica quam inſtitutione diuina* ſoli pontifici romano translationem eſſe reſeruatam. Verum miſſis his ambagibus, ad id ſolum adtendamus, ius transferendi epiſcopos eſſe inter iura papae aduentitia referendum.

Accessit ex CONCORDATIS NATIONIS GERMANIAE §. II. noua per germaniam disciplina, et reseruatio, ius scilicet translatione episcopi a pontifice facta, vacanti hac ratione sedi prouidendi de nouo praesule soli romano pontifici, sublata eo casu omni et electione, et postulatione, indultum est.

§. CCCLXXXIII.

Ad translationem consensus transferendi requiritur.

Praeter auctoritatem papae ad faciendam rite translationem multi etiam *patroni consensum* requirunt, quod an ex canonibus probari possit, vehementer ambigo. Alia est ratio ipsius *transferendi*, cuius ego consensum in translatione suscipienda omnino necessarium iudico, vt ne aut iure suo inuitus priuetur, aut cum alia ecclesia nolens coniugii spiritualis vinculo adligetur.

Vsu notorio receptum esse testatur ESPEN *Iur. eccles. P. I. t. XV. c. IV. §.* 21. quod sine consensu regis, qui iure nominandi ad episcopatus in suo regno gaudet, translationes fieri nequeant. Idem dicendum est de capitulis ecclesiarum cathedralium in Germania, quibus inuitis ius eligendi sine violatione concordatorum per translationem auferri nequit.

§. CCCLXXXIV.

Aliquando tamen etiam inuitus transferri potest.

An autem etiam *inuitus* episcopus quum id vtilitas ecclesiae maior, aut necessitas suaserit,

ſerit, a pontifice ad aliam transferri eccleſiam poſſit; diſputatum eſt. Ego non ambigo: *Ordinamus*, inquiunt Patres Concilii Constantiensis, *et ſtatuimus, inuitorum epiſcoporum, et ſuperiorum translationes absque magna et rationabili cauſa, quae vocata parte cognita fuerit, et deciſa de conſilio S. R. E. cardinalium, et maioris partis eorundem, et cum ſubſcriptione fieri non debere. ſeſſ. XXXIX. ap.* Hardvin. *tom. VIII. col.* 859.

§. CCCLXXXV.

Translocatio definitur.

Eſt etiam translationis inuoluntariae quaedam ſpecies, quam *translocationem* vocant, quae a translatione in eo differt, quod hac epiſcopus de minori ad maius prouehatur, vt dicitur *can.* 24. *diſt. XCIV.* illa autem fieri cenſeatur, quum poenae cauſa a digniori quadam ſede ad inferiorem detruditur.

Fateor huius translationis vix vllum hodie extare veſtigium; vid. *cap.* 4. *h. t.* ad eam tamen reſpicere iudico Isidorvm *in can.* 9. *diſt. LXXXI.*

TITVLVS XXXIII.

DE

MAIORITATE ET OBEDIENTIA.

§. CCCLXXXVI.

Ratio huius tituli.

Eſt aliqua in omni ſocietate neceſſaria poteſtatum ſubordinatio, ne diſſentiens earum vſus commune eius bonum perdat magis, quam promoueat. Quae qualis in eccleſia chriſtiana determinata ſit, hoc nobis loco exponendum eſt. *diſt. XXII. princ.*

§. CCCLXXXVII.

Maioritatis et Obedientiae definitiones.

Ex hac poteſtatum ſubordinatione enaſcitur MAIORITATIS, et OBEDIENTIAE notio, quarum *prior* nihil eſt aliud, quam *vnius prae altero praecellentia. Poſterior* autem *promtitudo ſe ad voluntatem alterius ſecundum canones conformandi.*

§. CCCLXXXVIII.

§. CCCLXXXVIII.

Fundamentum maioritatis.

Quum autem omnis praecellentia in societate quapiam non aliud habere possit fundamentum, quam iurium socialium quantitatem, quae ex munere, quod quisque in societate gerit, metienda est, haud difficulter quemuis intellecturum arbitror, maioritatis in ecclesia fundamentum esse munus, cui quisque praeest; eoque maiorem esse praecellentiae gradum, quo pluribus quis in ea iuribus, et grauioribus praeditus est.

§. CCCLXXXIX.

Primum ergo locum tenet; qui in sacerdotio, deinde, qui in ministerio existunt.

Quum igitur omnes functiones ecclesiasticae, et iura iisdem adnexa ex duplicis hierarchiae notione profluant (*P. I. sect. I. cap. 9.*) patet, *episcopos*, et *presbyteros* horum tamen illis subordinata potestate primum locum obtinere, vtpote quorum potestas in conficiendo eucharistiae mysterio versatur; proximum his locum illi tenent, qui in ministerio existunt; quorum hic ordo, vt *diaconus* praecedat *subdiaconum*; hic reliquos in *minoribus ordinibus* constitutos.

Atque hanc esse vetustissimam ecclesiae disciplinam, nos docet Ignatius *in epistol. ad smyrn.* scribens: *Omnia vestra decenti ordine perficiantur in Christo: laici*

ci diaconis subiiciantur, diaconi presbyteris, presbyteri episcopo, episcopus christo, vt ipse Patri.

§. CCCXC.

Praerogatiua I.) ORDINIS 1.) *quoad clerum secularem.*

Eſt autem ſumma cleri partitio in ſecularem, et regularem, quorum hic ab eo vitae communione ad certam regulam adtemperatae diſcernitur. (ſup. §. 282.) Ex ratione praecedentiae ſuperius a nobis ſtabilita (§. 388.) perſpicuum eſſe arbitror, *clerum ſecularem*, non modo epiſcopo ſuo, veluti primario diuini miniſterii hierarchae, coniunctum priorem ceteris *regularis cleri* corporibus tueri locum; ſed et *ſingulos* eccleſiarum rectores *ſingulis regularibus* praeeminere.

§. CCCXCI.

Idem.

Ex eadem porro ratione, quia ſunt *eccleſiarum cathedralium capitula* epiſcopis ſuis viciniora quam *capitula collegiatarum*, haec illis ordinis praerogatiua concedere neceſſe eſt. Alii autem ex ordine cleri ſecularis, quo maiore quis dignitate in eo praefulget, ita prae ceteris eminet, quos gradus ſingulos perſequi nunc non vacat.

§. CCCXCII.

§. CCCXCII.

2). *Regularem.*

Sed ad *clerum regularem* progrediamur, in quo primus ab omnibus locus *canonicis* tribuitur; alter *clericis regularibus* speciatim ita dictis, quos sequuntur *monachi*, et *mendicantes*, quos inter primatum tenet *ordo Praedicatorum.*

Vid. *constitutiones* Pii V. et Clementis VIII. ea de re editae. Adde *cardinalem* de Luca *de praemin. discurs.* 24.

§. CCCXCIII.

3.) *Tempus ordinationis.*

Animaduertendum id est tamen, iam olim obtinuisse, vt inter eos, qui eodem sunt in ordine constituti, tempus ordinationis proedriam tribueret, neque id sine ratione, quae et iure decretalium probatur. vid. *cap.* 1. *h. t.*

§. CCCXCIV.

Praecedentiae iudex est episcopus.

De proedria, si quid contentionis oriri contingeret in processionibus, episcopum in ea iudicem, remota omni adpellatione, constituerunt patres tridentini concilii. De grauioribus decernit S. congregatio cardinalium

ſuper negotiis epiſcoporum, et regularium. vid. CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXV. cap.* 13. *de regular.*

§. CCCXCV.

II.) IVRISDICTIONIS.

Hactenus de *hierarchia ordinis.* Sequitur ea, quam *iurisdictionis* vocant, de qua non magis laborandum, cognito iam proedriae fundamento, *(ſup. §.* 388.*)* Etenim primum in vniuerſa eccleſia locum *romano pontifici* tribuamus neceſſe eſt *(P. I. ſect. I. §.* 98.*)* cuius tamen auctoritas et ſtatutis patrum, et conciliorum canonibus eſt adtemperanda. Hunc ordine excipiunt *patriarchae, primates,* et *metropolitae,* poſt hos *epiſcopi* pleniſſimam in ſuas dioeceſes poteſtatem obtinent, atque in ea proedriam determinant. *(ſup. §.* 394.*)*

§. CCCXCVI.

EXEMTIO *definitur.*

At frequens eſſe coepit ſubinde a iurisdictione ordinarii EXEMTIO, quae hoc loco nobis eſt *independentia a poteſtate et iurisdictione ordinarii cum immediata ſubiectione ſedi apoſtolicae*: qua in re imprimis animaduertendum eſt, de triplici nobis exemtione ſermonem fore, 1.)*monaſteriorum* alia, 2.) alia *capitulorum,* et 3.) *perſonarum ſingularium*, quarum quaeuis

ad

ad hunc locum referenda eſt, ac de *illa* quidem primum dicamus.

§. CCCXCVII.

Exemtio I.) MONASTERIORVM.

In principio dignum eſt animaduerſione, monachos, quum primum orirentur, non clericorum, ſed laicorum in numero habitos fuiſſe, eaque de cauſa ab ordine clericali omnino ſeparatos, laicae diſciplinae fuiſſe ſubiectos, cumque his eccleſias parochiales frequentaſſe. Quo factum eſt, vt in eos epiſcopi eadem, quae in reliquum populum, eſſet poteſtas.

§. CCCXCVIII.

Eccleſiae antiquae orientali.

At quum ſeculo V. monachorum inciperet eſſe numerus maior, ipſique ſe monaſteriis exſtructis viuendi diuerſa ratione a laicis ſeparare, negotiisque ſe immiſcere, quae ad ſacrum regimen pertinerent, inſtituerent, viſum eſt, eos epiſcopis arctius ſubiicere eisque maiorem in hos, monaſteriaque eorum tribuere auctoritatem.

Ita enim habet *canon quartus* CONCILII CHALCEDONENSIS: *Qui vere et ſincere monaſticam vitam adgrediuntur, digni conuenienti honore habeantur: Quoniam autem nonnulli monachico praetextu vtentes, et eccleſias et negotia ciuilia perturbant: et temere citra vllam diſcriminis rationem in vrbibus circumuerſantes, quin etiam*

 mona-

monasteria sibi constituere studentes, visum est, nullum vsquam aedificare, nec constituere posse monasterium, vel oratoriam domum praeter sententiam ipsius ciuitatis episcopi. Monachos autem, qui sunt in vnaquaque regione, et ciuitate episcopo subiectos esse. Quae sunt ipsa *capituli primi* verba, quae ei Concilio MARCIANVS *Imp.* proposuit, vt ex *act. VI.* eiusdem synodi discimus. Adde *l.* 40. *cod. de episc. et cler. et* NOV. 123. *cap.* 21.

§. CCXCIX.

Et occidentali incognita.

Neque vero alia fuit *latinae ecclesiae* hac in re disciplina. SYNODVS enim AVRELIANENSIS I. *can.* 21. constituit: *vt abbates pro humilitate religionis in episcoporum potestate consistant, et si quid extra regulam fecerint, ab episcopis corrigantur, qui semel in anno, in loco, vbi episcopus elegerit, accepta vocatione conueniant. vid.* GRATIAN. *caus. XVIII. q. II. can.* 16.

Equidem negari non potest iam seculo VI. et quae hoc sunt consecuta, varia monachis priuilegia ab episcopis, ac regibus concessa fuisse. Verissimum est tamen, quod docuit ESPENIVS, eo exemtionum nomine, quo sensu haec vox a canonum interpretibus hodie accipi solet, non comprehendi, quippe quae salua canonica, et spirituali in monachos episcopi auctoritate, ad immunitatem a certis oneribus, et ad ius eligendi abbates pertinebant. vid. VAN ESPEN *Iur. eccles. vniu. P. III. tit. XII. cap. II. et III.*

§. CD.

§. CD.

Seculo primum XI. fuit inuecta.

Atque haec disciplina ecclesiae fuit vsque ad XI. seculum. Etenim nullum hactenus genuinum monumentum seculo XI. vetustius productum est, quod eiusmodi exemtiones in vsu fuisse demonstraret. Huius demum aetatis scriptores de exemtionum licentia conquestos fuisse constat luculento argumento, quod aut tum demum natas exemtiones, aut tam profuse datas, vt multorum querelas excitaret.

Qui exemtionum originem ad S. Gregorium referunt, aut *synodo charthaginensi* sub Bonifacio dictae vrbis episcopo a. 524. celebratae eandem tribuunt, vehementer falli ostendit Espen *cit. loc. cap. IV. §. 7. seqq.*

§. CDI.

Lamentationes S. Bernardi *contra hos abusus.*

Non possum, quin S. Bernardi *tract. de mor. et offic. episc. cap.* 9. duodecimi seculi scriptoris meminerim, ita autem ille: *Miror quosdam in nostro ordine monasteriorum abbates hanc humilitatis regulam odiosa contentione infringere, et sub humili, quod plus est, habitu, et tonsura tam superbe sapere, vt quum ne vnum quidem verbulum de suis imperiis subditos suos praetergredi patiantur, ipsi propriis obedire contemnant episcopis. Spoliant ecclesias,*

ſias, vt emancipentur, redimunt ſe, ne obediant, non ita Chriſtus. Ille ſiquidem dedit vitam, ne perderet obedientiam, qua iſti, vt careant, totum fere ſuum, ſuorumque victum expendunt. Quid hoc eſt praeſumtionis, o Monachi! neque enim, quia praelati monachi, ideo non monachi.

§. CDII.

Idem.

Incommoda harum exemtionum egregie idem deſcribit S. BERNARDVS *ad* EVGENIVM P. *Nolo autem*, inquit: *praetendas mihi fructum emancipationis ipſius. Nullus eſt enim, niſi quod inde epiſcopi inſolentiores, monachi etiam diſſolutiores fiunt. Quid et quod pauperiores? Inſpice diligentius talium vbique libertorum et facultates et vitas, ſi non pudenda admodum et tenuitas in his, et in illis ſecularitas inuenitur. Matris noxiae libertatis gemina ſoboles haec. Quidni peccet licentius vagum, et male liberum vulgus, quum non ſit, qui arguat? . . . non eſt arbor bona, faciens fructus tales inſolentias, diſſolutiones, dilapidationes, ſimultates, ſcandala, odia: quodque magis dolendum, inter eccleſias inimicitias graues, perpetuasque diſcordias. Vides, quam verus ſit ſermo ille: omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt. Quid ſi forte ne licet? ignoſce mihi, non facile adducor conſentire, quod tot illicita parturit.* S. BERNARDVS *lib. III. conſider. cap.* 4.

§. CDIV.

§. CDIII.

Tum remedia fuere quaesita.

His malis vt obuiam iret, saepius solicitam ecclesia operam impendisse videbatur. Tentarunt patres in duobus CONCILIIS LATERANENSIBVS sub ALEXANDRO III., et INNOCENTIO III. congregati mutuis episcoporum, et exemtorum querelis finem imponere, sed irrito conatu. Postea in CONCILIO VIENNENSI initio seculi XIV. celebrato actum est *de reuocandis exemtionibus, restituendoque episcopis vetere in religiosas familias, quae in eorum dioecesibus agerent, iure; propterea quod ferrentur ab episcopis variae querelae contra exemtos, a quibus episcopalis ordinis auctoritatem contemni, pluraque contra fas sub exemtionum clypeo pertentari expostulabant.* RAYNALDVS *in adpend. ad ann.* 1312. *num.* 24.

§. CDIV.

Sed frustra.

Sed frustra; exemtionibus enim his quanta accessio facta fuerit, quum schismate scinderetur ecclesia, vix dici potest, dum quisque pontificum, suae vt rei consuleret, hoc genere fauoris potentissimum quemque sibi conciliare studeret. vid. MARTINI V. *bulla de exemtion. in sess.* 43. CONCIL. CONSTANT. vulgata apud HARDVINVM *collect. concil. t. VIII. col.* 873.

§. CDV.

Postulata exemtionum abrogatio.

Ita perdurauit malum vsque ad CONCILII TRIDENTINI tempora: docet id nos *conuentus praelatorum* a PAVLO III. congregatus ad corrigendos abusus, in synodo postea reformandos. *Alius abusus magnus*, *et minime tolerandus*, inquiunt praelati, *quo vniuersus populus christianus scandalizatur*, *est ex impedimentis*, *quae inferuntur episcopis in gubernatione suarum ouium*, *maxime in puniendis scelestis*, *et corrigendis. Nam primo multis viis eximunt se mali homines*, *praesertim clerici a iurisdictione sui ordinarii. Deinde si sunt exemti*, *confugiunt statim ad poenitentiariam*, *vel ad datariam*, *vbi confestim inueniunt viam impunitati*, *et*, *quod peius est*, *ob pecuniam praestitam* .... *Tollantur hae maculae*, *quibus si daretur quispiam aditus in quacunque hominum republica*, *aut regno*, *confestim*, *aut paulo post in praeceps rueret*, *nulloque pacto diutius constare posset*, *et tamen putamus nobis licere*, *vt per nos in christianam rempublicam inducantur haec monstra*.

§. CDVI.

In CONCILIO TRIDENTINO.

Ac *Germaniae* quidem *episcopi*, principesque exemtiones omnes tollendas esse censuerunt. Haec enim sunt ARTICVLI IV. ab eis de reformatione SYNODO TRIDENTINAE oblati

ti verba: *reuocandas omnes exemtiones contra iura communia passim concessas, monasteriaque omnia sub episcopi potestate constituenda, sub cuius sunt dioecesi.* Verum pia haec desideria exoptato effectu caruere, aliudque obtentum fuit nihil, nisi quod SYNODVS TRIDENTINA eiusmodi exemtiones, pluribus eam in rem editis decretis, varia ratione circumscripserit, et limitauerit.

Apologiam exemtionis regularium in se suscepit PALLAVICINVS *in hist.* CONCIL. TRID. *l. XII. c.*13. §. 8. hisce verbis: *haud inficior*, inquit, *vnum ex emolumentis, quae regularium immunitas secum fert, in eo situm est, quod auctoritatem sedis apostolicae sustineat secundum institutionem Christi et ecclesiae bonum, quum in comperto sit, omne monarchiae regimen, quo se illaesum tueatur, opus habere in singulis prouinciis aliquo praesidio eius: modo subditorum, qui principi per se ac perpetuo illis dominanti nequaquam subiiciantur.* Iudicent alii de huius nouae philosophiae veritate et soliditate.

§. CDVII.

Quod tamen eas solum limitauit.

Et quidem 1.) exemti clerici seculares omnes, regulares extra monasterium degentes, si deliquerint, ab ordinario loci, *tanquam a sede apostolica delegato*, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem puniri et corrigi possunt. *sess. VI. cap.* 3. *de reform. sess. XIV. cap.* 4. *de reform.* 2.) quo iure vtendum etiam est in eos regulares, qui studiorum causa ad vniuersitates mittuntur, nisi in conuentibus regularibus habitent. *sess. XXV. cap.* 4.

de regular. 3.) Quodſi regularis intra clauſtra degens, et extra ea tamen ita notorie deliquerit, vt populo ſcandalo ſit, epiſcopo inſtante puniri a ſuo ſuperiore, aut ad poenam epiſcopo tradi debet. *ſeſſ. XXV. cap.* 14. *de regular.* 4.) in cauſis ciuilibus mercedum et miſerabilium perſonarum omnes, quomodocunque exemti coram ordinario loci conueniri et compelli poſſunt. *ſeſſ. VII. cap.* 14. *de ref.*

§. CDVIII.

Quae limitationes recenſentur.

Porro 5.) nulla exemtione quidpiam impediente obligantur regulares etiam exemti legibus epiſcoporum circa miſſae aut feſtorum dierum celebrationem, expoſitionem et circumgeſtationem venerabilis, atque alia eiusdem generis. *ſeſſ. XXII. decret. de obſeru. et vitand. in celebrat. miſſar. ſeſſ. XXIV. cap.* 11. *de reform. ſeſſ. XXV. cap.* 12. *de regul.* 6.) cenſurae et interdicta ab ordinariis lata etiam in eccleſiis regularium promulganda ſunt, et ſeruanda. *ſeſſ. XXV. cit.* 7.) nullus regularis ad populum verba facere poteſt, etiam in eccleſia monaſterii, ſine venia epiſcopi. *ſeſſ. VI. cap.* 2. *et ſeſſ. XXIV. cap.* 4. *de reform.* 8.) nullus confeſſiones ſecularium audire, niſi adprobatus ſit ab epiſcopo. *ſeſſ. XXIII. cap.* 15. *de reform.* 9.) omnes a proprio epiſcopo ſacros ordines accipere debent. *ſeſſ. cit. cap.* 8. 10.) qui animarum curam habent perſonarum ſecularium, ſubſunt immediate in iis, quae ad dictam

cu-

curam et Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, iurisdictioni, viſitationi et correctioni epiſcopi. *ſeſſ. XXV. cap.* 11. *de ref.* add. BENEDICT. XIV. *conſtitut.* FIRMANDIS. *cap.* 2. vid. CORP. NOST. IVRIS ECCLES. BOH. ET. AVST. *pag.* 74. *ſeqq.*

§. CDIX.

II.) CAPITVLORVM.

Ad exemplum monaſteriorum eximi quoque coeperunt *capitula eccleſiarum cathedralium*, et *academiae*. Haſce vero exemtiones ſeculo XII. nondum fuiſſe vſitatas, ex eo colligas, quod nulla earum a ſcriptoribus eius aetatis facta ſit mentio, quum de monachorum exemtionibus frequentes fuerint eorundem querelae, vt vidimus. Proximum igitur vero eſt, eas poſt ea tempora monachorum imitatione inualuiſſe, deſerta vitae communione, quam ſancte antiquitas colebat.

Vid. VAN-ESPEN. *P. III. iur. eccleſ. vniu. tit. XII. cap. IV.* §. 51. Eſſe autem hoc genus exemtionum maxime odioſum, agnouit *Cardinalis Lotharingiae* hisce verbis: *nullam peſtem a ſe magis noxiam putari, quam huiusmodi immunitatem clericorum collegiatorum, quum plura membra ſine capite euadant monſtrum*, vt refert PALLAVICINVS *in hiſt.* CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXIII. cap.* 3.

§. CDX.

§. CDX.

Has quoque exemtiones tridentinum.

Enorme hoc genus exemtionis, quum pro circumſtantiarum ratione tollere omnino CONCILIVM TRIDENTINVM non poſſet, varia tamen media huic abuſui moderando idonea praeſcribit, et praeprimis conſtituit. 1.) *vt epiſcopis vbique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par eſt, eisque in choro, et in capitulo, in proceſſionibus, et aliis actibus publicis ſit prima ſedes, et locus, quem ipſi elegerint, et praecipua omnium rerum agendarum auctoritas. ſeſſ. XXV. cap. 6. de reform.* Nec immerito id quidem, quum enim fieri omnino nequeat, quin epiſcopus cleri ſui caput ſit, ac pater habendus, nulla quoque exemtione id effici poteſt, vt ne epiſcopo exhibeantur ea, quae *honoris* ac *reuerentiae* ſunt, non magis ſane, quam ſoluta patria poteſtate fas eſt filio, officia reuerentiae negare patri, quae natura praeſcribit.

§. CDXI.

Varia ratione limitauit.

Dein 2.) *ſi epiſcopi canonicis aliquid ad deliberandum proponant, nec de re ad ſuum, aut ſuorum commodum ſpectante agatur, epiſcopi ipſi capitulum conuocent, vota exquirant, et iuxta ea concludant.* Quoniam enim non obſtante quacunque exemtione integra manere debeat epiſcopo dioeceſis ſuae cura et capitulum

ei

ei vi institutionis suae auxilio esse debeat, consequens est, penes episcopum ius esse, canonicos, vtut ab eius iurisdictione immunes, exigente id ecclesiae vtilitate congregandi. *sess. XXV. cit.*

§. CDXII.

Idem.

Sanxit vlterius 3.) sacra synodus temperandae exemtionis causa, vt capitula cathedralium, et aliarum maiorum ecclesiarum, illorumque personae, quomodocunque exemtae, et exemta, ab episcopis toties, quoties opus fuerit, visitari, corrigi et emendari, *etiam auctoritate apostolica*, possint; *sess. VI. cap. 4. de ref.* vt porro decretum Pavli III. obseruetur non solum in visitatione, sed et quoties ex officio et ad petitionem contra aliquem ex contentis in dicto decreto procedat. *sess. XXV. cap. 6. de ref.*

§. CDXIII.

III.) Personarvm *singularum.*

Ad exemplum religiosorum, canonicorumque *singulares* quoque *personae*, seu *seculares*, seu *regulares* diuerso titulorum inuolucro libertatem sibi a subiectione episcopis suis debita impetrare coeperunt, quas exemtiones perturbationem in episcoporum iurisdictione excitare, et exemtis occasionem laxioris vitae praebere deplorat synodvs tridentina, easque

hae

hac de caufa iuftos intra limites coercuit. *feff. XXIV. cap.* II. *de reform.*

§. CDXIV.

Poteftas epifcopis in exemtos tributa eft iam ordinaria.

Quoniam hifce tridentinis decretis epifcopis non tam noua poteftas fuit conceffa, quam vetus reftituta, atque quum aliunde conftat, quam follicite eius fynodi patres dederint operam, vt epifcopis temporum et hominum iniuria pene conculcatam in fuos poteftatem reftituerent; confequi inde recte docent interpretes, *delegatam* illam a TRIDENTINA SYNODO, aliisque conftitutionibus pontificum in exemtos iurisdictionem *ordinariae* aequipollere, atque inde fauorabilem, *lataeque interpretationis* effe; porro eo minus quidquam ea ordinariae derogari, vt potius hanc confirmet, quafi exemtio omnis fublata foret. vid. VAN-ESPEN. *in repagul. canon.*

§. CDXV.

De exemtione, REGVLA I.

Ex iis, quae hactenus de exemtione ab ordinaria epifcopi poteftate propofita funt, confequitur I.) de iure communi ordinariorum intentio eft fundata quo ad iurisdictionem; adeoque, fi priuilegium per fe fufficiens, quando folo priuilegio fe defendunt, vel faltem tale, quod praefcriptioni canonicae caufam praeftet,

ſtet, non exbibuerint, ordinarii ſua iurisdictione in eos vti poſſunt libere, donec de praeſcriptione canonica fecerint plenam fidem.

Certiſſimi iuris eſt, eos, qui priuilegio quodam gaudent, ita oportere priuilegiorum ſuorum ſeruare tenorem, quod eorum metas minime transgredi videantur. De hoc vero quum conſtare nequeat epiſcopo, niſi inſpicienda dentur priuilegia, conſequens eſt, vt priuilegia ab illis, qui exemtionem praetendunt, epiſcopis inſpectionem poſtulantibus exhibenda ſint. *cap.* 4. *de fid. inſtrum. cap.* 8. *de priuil. cap.* 7. *eod. in VI.*

§. CDXVI.

REGVLA II.

Deinde 2.) exemtiones, tanquam iuri communi aduerſae, odioſae ſunt, et hierarchiae eccleſiaſticae inimicae, auferentes ſcilicet ordinariis locorum auctoritatem ſuam: odia vero reſtringi oportere, quaeque a iure communi exorbitant, nequaquam ad conſequentiam eſſe trahenda, regulae iuris canonici notiſſimae docent; palam igitur eſt, quod paſſim traditur, materiam exemtionis eſſe ſtricte accipiendam. vid. *cap.* 15. 28. *de reg. iur. in VI.*

Atque hinc conſequens eſt a.) vt licet exemtum ſit monaſterium, eccleſiae tamen, et capellae a monaſterio dependentes non ſint immunes, niſi earum quoque expreſſe facta fuerit mentio. Pari ratione b.) nihil impedire, quo minus exemtus ratione delicti commiſſi, aut contractus initi in loco non exemto conueniri coram ordinario poſſit. vid. *cap.* 17. *de priuil. cap.* 1. *eod. in VI.* CONCIL. TRID. *ſeſſ. VII. cap.* 14. *de reform.* Porro c.) reſcri-

rescriptum sedis apostolicae contrarium canoni concilii oecumenici censendum subreptitium, nisi expresse canoni sit derogatum. *cap.* 3. *de capell. monach.*

§. CDXVII.

REGVLA III.

Non minus 3.) perspicua ex dictis est interpretum regula: exemtum sub vna qualitate non censeri propterea exemtum sub alia qualitate consideratum: quam quidem regulam non INNOCENTIVS modo *P. III.* sed et TRIDENTINI PATRES probarunt. *cap. cum capella. de priuil. cap.* I. *eod. in VI.* CONCIL. TRIDENT. *sess. XXIV. cap.* II. *de reform.* Ex quo dilucide colliges, exemtionem regularibus indultam extendi haud posse ad eos, vt cooperatores, et subsidiarios praelatorum, non magis sane, quam exemtio canonicorum, aut academicorum eis prodest, quum functiones hierarchicas obeunt. *arg. cit. cap. cum capella. de priuil.*

§. CDXVIII.

REGVLA IV.

Dein 4.) ratione non minus, quam iure fundata est haec interpretum regula: tametsi summus pontifex in suam recipiat protectionem quempiam, non consequi ex eo, vt iurisdictioni episcopi subtrahatur. *Neque enim, si ad indicium perceptae protectionis census persoluatur ex hoc iuri dioecesani episcopi aliquid* vide-

videtur esse subtractum, verba sunt ALEXANDRI III. *cap.* 8. *de priuil. adde cap.* 18. *eod.*

TITVLVS XXXV.
DE
PACTIS.

TITVLVS XL.
DE
HIS, QVAE VI METVSVE CAVSA FIVNT.

TITVLVS XLI.
DE
IN INTEGRVM RESTITVTIONE.

TITVLVS XLII.
DE
ALIENATIONE IVDICII MVTANDI CAVSA.

§. CDXIX.

RES ECCLESIASTICAE *sunt vel* SPIRITVALES.

Hactenus ea, quae ad PERSONAS *ecclesiasticas* pertinent, quantum quidem de his in

decretalibus continetur, expoſuimus. Nunc ad RES ECCLESIASTICAS tranſitum faciamus, (ſup. §. 123.) Quarum duo eſſe genera debere, nemo non intelligit, ſcilicet res eccleſiaſticas SPIRITVALES et TEMPORALES. (P. I. ſect. I. cap. VIII. §. 108. et §. 112.) In *illarum* numerum referenda praeprimis ſunt nouae legis *Sacramenta*, de quibus in LIBRO III. ad *Titulos XLI. XLII. et XLIII. et in toto* LIBRO IV. egimus. Dein alia, quae ad *cultum Dei* rite peragendum, *et ſalutem animarum* obtinendam *immediate* ſpectant, quorum exſplicationem itidem in LIBRO III. *ad* TITVLOS *XXXIV. XXXVIII. XL. XLIV. vsque ad* TITVLVM *XLIX.* dedimus.

§. CDXX.

Vel TEMPORALES.

Res eccleſiaſticae temporales, vel *perſonis ſingulis*, vt *clericis*, et ſpeciatim *epiſcopis:* (LIBR. *III.* TITVL. *XXV. et XXXIX.*) vel *eccleſiae*, vt perſonae morali, ſunt *propriae*: (*ibid.* TITVL. *XLIX.* earumque ſpecies praecipuae ſunt *decimae* et *beneficia* (LIB. *III.* TITVL. *V. XII. XXXVII. et XXX.*) Et licet earum rerum *alienatio* ſit *regulariter prohibita* (*ibid.* TIT. *XIII.*) attamen iisdem fere modis *adquiruntur*, *transferuntur* et *amittuntur*, quibus res aliae, in commercio ciuili conſtitutae. Ita in (LIBRO *III. ad* TITVLOS *XXVI. et XXVII.*) *de ſucceſſionibus ex teſtamento* et *ab inteſtato* a nobis actum eſt.

§. CDXXI.

§. CDXXI.

PACTVM *definitur.*

Sed et per *actus inter viuos* adquiſitiones, et alienationes rerum eccleſiaſticarum fieri ſolent. Eorum actuum *ſpecies* pariter in LIBRO *III. ad* TITVLOS *XIV. et ſeq. vsque ad* TITVL. *XXIV.* recenſuimus. Hoc loco iam nobis ſupereſt, vt *de genere*, id eſt, de PACTO exponamus. Eſt autem PACTVM *generatim acceptata promiſſio*, ſeu vt VLPIANVS definit, *duorum pluriumue in idem placitum conſenſus*, in *l.* 1. §. 2. *D. h. t.* ISIDORVS *cap.* 2. *de V. S.* perperam, *quaſi ex pace* factum ait.

§. CDXXII.

Ex omni pacto obligatio naſcitur.

Ex omni pacto perfectam oriri obligationem, ſi modo neque paciſcentium ſtatus, neque ipſius rei qualitas impediat, philoſophia iuris perſpicue demonſtrat, nullo pactum inter et contractum, nullo aliarum conuentionum adhibita diſcrimine.

§. CDXXIII.

Principia iuris canon. de pactis.

Ius eccleſiaſticum 1.) hanc naturae ſimplicitatem plerumque imitatur quidem, neque tamen 2.) a iurisprudentiae ciuilis placitis

omnino recedit: quaedam etiam 3.) ex ratione ſtatus, et ſyſtematis eccleſiaſtici vtrique ab eccleſia adiecta fuiſſe conſtat.

§. CDXXIV.

I.) Ius naturae.

Ius naturae in paciſcendo ſimplicitatem plerumque imitatur, vt dixi, ex quo conſequens eſt 1.) vt ſcrupuloſa illa romanorum ſtipulationis ſolemnitas non ſit adtendenda, adeoque 2.) ab hoc iure alienum haud ſit alterum pro altero paciſci, et 3.) factum alterius promittens non omnino nihil agat. *cap.* 3. *h. t.*

Quod pactum de viuentis hereditate tum adquirenda, tum remittenda iuramento firmatum, ſeruari debeat, principiis iuris canonici conſonat. *cap.* 2. *h. t. in VI.* et *cap.* 28. *de iureiur.* add. LEYSER *in meditat. ad pandect. ſpecim. XLV. meditat. I. item ſpecim. XL.*

§. CDXXV.

II.) Ius ciuile.

Quoniam tamen a iure ciuili non omnino recedit, intelligi poteſt 1.) ne iure quidem canonico pactum nudum obligationem ciuilem, ſeu actionem in foro producere, 2.) in contractibus innominatis ſupereſſe locum poenitentiae, 3.) diſcrimen inter contractus bonae fidei, et ſtricti iuris non omnino eſſe ſublatum,

tum, 4.) multo minus contractuum in reales, consensuales, et literales diuisionem esse incognitam. *cap. fin. depos.*

§. CDXXVI.

III.) Status ecclesiae.

Quia porro ab ecclesia quaedam ex ratione status, et systematis ecclesiastici supplendi, corrigendi, et interpretandi causa adiecta sunt, perspicuum est, 1. pacisci monachos, et religiosos, et paciscendo sibi adquirere haud posse, 2.) inutilem esse contractum de rebus ecclesiae alienandis non ab eo, aut non eo modo initum, quo id per canones fieri oportet, 3.) inualidam esse pactionem, quae cum periculo animae est coniuncta, aut 4.) turpitudinem inuoluit, quaeque 5.) ecclesiam damno adficit, aut 6.) statui ecclesiastico repugnat, vel 7.) in praeiudicium tertii, vel 8.) praeiudicium superioris initum est. *cap.* 4. *et* 5. *h. t. caus. XXII. q. IV. can.* 5. *cap.* 12. *de foro comp. cap.* 5. *et* 8. *de transact. cap.* 8. *de cens. cap.* 19. *et* 22. *de iureiur.*

§. CDXXVII.

Corollaria.

Quae quum ita sint, haud difficile fuerit intelligere sequentes POSITIONES, I.) quum naturae praecepta immutabilia sint, perspicuum est, nullam pactionem naturali iure illici-

licitam et inualidam, iure canonico validam esse censendam: contra, quum *naturalia* tamdiu robur suum obtineant, quamdiu eis derogatum non est, sequitur, si quae eorum ita comparata sint, vt nihil eorum desit, quae ad perfectionem naturalis ratio exigit, vsque eo in foro etiam ecclesiastico, seruanda esse, dum luculenter probatum fuerit, positiuo iure vim eis ademtam fuisse; iurisprudentiae adeo naturalis intelligentia quam sit canonum studioso necessaria, hinc satis puto liquere.

§. CDXXVIII.

Idem.

Quum porro II.) canones legum scita imitari haud dedignentur, horumque non sit tanta potestas, vt leges extra papae territorium abrogare possint, euidens est, pacta secundum leges contracta, vbi canones nihil disponunt, vtroque in foro tanquam valida censeri. At quum canonibus seu remissum aliquid de iis est, quae exigunt leges, aut his incognitum adiicitur, statutis locorum, et moribus vsu probatis vtendum esse ratio dictat.

Confer. HEINNECCII INSTITVT. *lib. III. ad tit. XIV. XVI. seq.* PANDECT. *lib. II. tit. XIV.*

§. CDXXIX.

§. CDXXIX.

RESTITVTIO IN INTEGRVM *definitur.*

Adquisitione vel alienatione rerum laedi quoque potest ecclesia: quo in casu videndum est, an restitutionis in integrum beneficio, per leges et canones concesso, damnum reparari non possit. Est autem RESTITVTIO *in integrum*, quatenus a iudice petitur, *redintegrandae rei vel causae actio*: quatenus datur, *causae iure stricto amissae ob laesionem redintegratio.*

§. CDXXX.

Axiomata de ea.

Itaque ad petendam et obtinendam restitutionem in integrum requiritur, 1.) vt negotium ipso iure sit validum, 2.) vt probetur laesio notabilis; minima enim non curat praetor, 3.) vt non supersit remedium ciuile ordinarium, nisi quod minoribus concessum sit, vt eligant beneficium praetoris, si istud sit pinguius et facilius remedio ordinario, 4.) vt denique fiat causae cognitio.

Ceterum sunt negotia quaedam, in quibus, quum secundum canones perfecta sunt, beneficium restitutionis locum iam non habet. Ex quo genere sunt *matrimonium* ob indissolubilem huius negotii naturam: *professio in religione* probata valide facta, et quinquennii silentio confirmata.

§. CDXXXI.

Causae restitutionis sunt I.) METVS.

Causae iustae restituendi sunt, I.) METVS *grauis*, et *iniustus*, cum actus tali metu extortus summo iure pro valido habetur; quippe ius canonicum a ciuili non prorsus recedit, et discrimen inter contractus bonae fidei, et stricti iuris non est per canones omnino sublatum: (sup. §. 425.) atqui vero iure ciuili contractus negotiaque stricti iuris subsistebant, etiamsi metu adactus quis contraxisset, donec praetor edixerit. *Quod metus caussa gestum erit, ratum non habebo l.* 1. *D. quod metus caus.*

Ceterum sunt quaedam *negotia ob metum ipso iure nulla* ita 1.) qui metu graui monasterio sese mancipauit, et professionem edidit, iure decretalium inter annum reclamare tenebatur, quod iure nouissimo ad quinquenium est extensum, 2.) sponsalia metu extorta non subsistunt, multoque minus, 3.) matrimonium, 4.) absolutio vi maiori extorta nullius est momenti, 5.) resignatio beneficii, et eiuratio ecclesiae extorta, irrita pronunciantur, 6.) confessio flagellis extorta nihil adfert praeiudicii confitenti, 7.) iuramentum tamen seruari volunt canones, si salua salute aeterna seruari possit, absolutionem tamen non denegant. *cap.* 1. *et* 2. *de regular.* CONCIL. TRID. *sess. XXV. cap.* 19. *de regular. cap.* 13. 15. 28. *de sponsal. arg. cap.* 6. *eod. cap.* 8. *et* 15. *de iureiur. cap.* 2. *eod. in VI.*

§. CDXXXII.

§. CDXXXII.

II.) DOLVS.

Dein II.) DOLVS *malus*; licet enim *bonae fidei contractus* ob *dolum causam dantem* sint ipso iure nulli, *ob incidentem* actione ordinaria ex contractu purgandi; *stricti* tamen *iuris negotia*, siue inciderit dolus, siue causam contrahendo dederit, ipso iure subsistunt, nisi quod praetor statuerit: *Quae dolo malo facta esse dicentur, si de his rebus alia actio non erit, et iusta causa esse videbitur, iudicium dabo l.* 1. *§*. 1. *D. de dol. malo.*

§. CDXXXIII.

III.) ALIENATIO *iudicii mutandi caussa.*

Iusta quoque est III.) restituendi causa ALIENATIO *iudicii mutandi caussa facta; nam omnibus modis proconsul id agit, ne cuius deterior causa fiat ex alieno facto;* hinc *si quis alienando reus alium nobis aduersarium suo loco substituerit, idque data opera in fraudem nostram fecerit, tanti nobis in factum actione teneatur, quanti nostra intersit, alium aduersarium nos non habuisse. l.* 1. *D. de alienat. iud. mut. caus.*

Ex qua colligit pontifex. ex rescripto, contra primum possessorem impetrato, delegatum iudicem procedere posse contra secundum, in quem ad eludendum primum a primo interim res translata est. *cap.* 1. *h. t. cap.* 11. *de iudic.*

§. CDXXXIV.

IV.) ABSENTIA.

Facit quoque IV.) ABSENTIA ex loco domicilii, *reipublicae caufa*, *ob metum* item, aut *neceſſitatem*, *ſine dolo* ſufficienter probata, et cognita, vt abſentibus quibuscumque contra praeſentes, et his contra abſentes reſtitutione in integrum ſubueniatur, quum abſente altero, dum non eſt conueniendi copia, ius alterius per praeſcriptionem laeſum fuit.

§. CDXXXV.

V.) Minor AETAS.

Praecipua reſtitutionis cauſa eſt V.) LVBRICVM AETATIS; *quod enim cum minore, quam viginti quinque annis natu, geſtum eſſe dicetur, vti quaeque res erit, animaduertam. l. 1. §. 1. D. de minor.* Quare nihil impedire, quin minor aduerſus beneficii reſignationem reſtituatur, haud improbabiliter multis viſum eſt, licet alias vulgata ſit regula, minores in cauſis ſpiritualibus habendos eſſe pro maioribus.

Vid. COVARRVV. *lib. I. variar. cap. V.*

§. CDXXXVI.

§. CDXXXVI.

Minoribus aequiparantur ecclesiae, loca pia, et religiosa.

Quemadmodum autem minor, cuius bonis curatoris potestas imminet, quum huius culpa, aut negligentia laeditur, a praetore adiuuari solet, ita et ecclesia, si ex negotiis ab administratoribus eius gestis damnum passa est. Quod et tum habere locum verius est, dum negotium ecclesiam hanc inter et illam geritur. *cap. 1. et 3. h. t. cap. 1. et 2. eod. in VI. clem. vn. h. t.* Hoc idem legis beneficium ad monasteria quoque, collegia religiosorum, hospitalium, aliaque loca pia, ac religiosa eadem ex ratione fuisse translatum, iniquum non est. At probari non potest, quod placuisse non nullis video, clericis etiam ratione bonorum patrimonialium, quum laedi eos contingit, succurrendum esse: cui rei nec lex, nec ratio vlla solida suffragatur.

Ecclesiae, aliaque loca, quae iure ecclesiae gaudent, in quibuscunque negotiis laedantur, restitui possunt, veluti contra omissam probationem: productionem documentorum in iudicio: contra confessionem iudicialem sibi noxiam: contra lapsum fatalium, contra contractum, negligentiamque procuratoris. *cap. 2. seq. h. t. cap. 14. de priuileg.*

§. CDXXXVII.

Restitutio intra quadriennium est petenda.

Est autem petenda restitutio intra quadriennium continuum, excepta actione doli et

ex

ex causa metus: *illa* enim biennio, *haec* anno continuo exspirat: minori computatur hoc quadriennium a tempore, quo minor esse desinit, maiori autem a die factae laesionis et remoti impedimenti. Licet enim quadriennium in decursu sit *continuum; vtile* tamen est in suo initio, ita, vt non incipiat currere, si maior, vel minor factus maior, dolo, vi, vel alio iusto impedimento ab agendo impediatur. Sed *ignorantia* huc non pertinet; est enim ea omnis praescriptionis natura, vt etiam aduersus ignaros vim suam integram seruet.

Vid. *clem. vnic. h. t.* nihil obstat argumentum ex *cap.* 1. *et* 2. *h. t. in VI.* deductum, quod de ignorantia ex fraude alterius profecta intelligendum est.

§. CDXXXVIII.

Eo elapso nemini eam iura concedunt.

Solent vulgo interpretes canonum praefinitum hoc restitutionis tempus ita circumscribere, vt contendant, amitti beneficium hoc iuris lapsu quadriennii, nisi causa quaedam rationabilis subsit, quae moueat iudicem ad concedendam restitutionem etiam post huius temporis lapsum, cuius generis causas iustas esse censent, 1.) laesionem enormem, 2.) si praelatus contractu suo laedens tamdiu viuat, 3.) crebras praelatorum, et repentinas mutationes. Verum etsi ego haud negauerim, posse ita ecclesiae statum esse comparatum, vt officio iudicis contineatur, eam non relinqui in-

de-

defenſam, fatendum tamen eſt, exceptiones has auctoritate iuris ſcripti non niti, cui contrarium eſt, vt in priuilegiis interpretationi extenſiuae locus detur.

Id quod nequidem ipſi, quos dixi, interpretes negant, dum huius rei arbitrium prudentiae iudicis committendum fatentur vid. REIFFENSTVEL *iur. can. h. t. num.* 64. *ſeqq.*

§. CDXXXIX.

Reliqua de reſtitutione hic notanda.

Praeterea hic notandum eſt 1.) peti reſtitutionem aut *ſeparato proceſſu*, aut *incidenter*, quum quis in proceſſu litis omiſſa forte probatione laeſus eſt. Quid interſit, vtro modo petatur, explicat *cap.* 9. *h. t.* 2.) poſtulata in integrum reſtitutione omnia in ſuo ſtatu eſſe debere, donec res finiatur, perſpicui iuris eſſe, *l. vnic. cod. in integr. reſtit. poſtul.* hunc tamen 3.) iuris rigorem INNOCENTIVM III. penſata aequitate temperaturum ſtatuiſſe, vt ante omnia ſententia, praeuia tamen cautione, executioni mandetur. *cap.* 6. *h. t.* 4.) impetrata vero reſtitutione omnia in priſtinum ſtatum reducenda eſſe ita, vt reſtitutus nec damnum nec lucrum ſentiat, *cap.* 1. *h. t.* 5.) petitam ſemel, atque denegatam, iterum nequidquam peti reſtitutionem, excepta cauſa adpellationis nouis defenſionibus munienda. *cap. fin. h. t.*

Confer. HEINECCII PANDECT. *lib. IV. titul.* 1. *ſeqq.*

TI-

TITVLVS XXXIV.

DE

TREVGA ET PACE.

TITVLVS XXXVI.

DE

TRANSACTIONIBVS.

TITVLVS XLIII.

DE

ARBITRIS.

§. CDXL.

Transitus ad IVDICIA ECCLESIASTICA, *quae euitantur* TRANSACTIONE.

Sequuntur IVDICIA ECCLESIASTICA; (sup. §. 419. et §. 123.) verum his non temere vel se vel alios defatigare oportet; inuestiganda potius sunt remedia pacifice controuersias componendi quorum praecipuum est TRANSACTIO, quae rite definitur, quod sit, *rei dubiae conuenta et non gratuita decisio, dato aliquo, vel retento, vel promisso facta. l. 1. D. de transact. cap. 7. h. t.*

§. CDXLI.

§. CDXLI.

Corollaria.

Ex hac definitione sequitur 1.) quicunque pacisci non possunt „ iis neque transigere permissum est. 2.) sicut nemo ad paciscendum, ita neque ad transigendum regulariter cogi potest, nisi quod iudicis officium nonnunquam exigat, vt partes ad concordiam et transactionem inducere conetur. *cap. fin. h. t.* 3,) praelatus ecclesiae sine solennitatibus, pro casu, quo alienatio esset prohibita et noxia, transactionem inire non potest.

§. CDXLII.

Ex definitione transactionis deducta.

Dein 4.) super illis tantum rebus et iuribus transigere licitum est, quorum alienatio est in transigentium potestate, quorumque commercium canonibus non repugnat. Quare transigi non potest a.) super rebus spiritualibus aut spirituali adnexis, quo pertinent *iure decretalium*, ius decimandi, patronatus, beneficia. *cap. 7. h. t.* Itemque b.) transigi non potest super matrimonio iterum dissoluendo; cum eius indissolubile vinculum obstet.

§. CDXLIII.

Effectus transactionis.

Conuentio legitime inita vtramque paciscentium partem arcte, et firmiter obligat adeo, vt vna altera inuita recedere nequeat. Quum ergo transactio sit decisio controuersiae in conuentione partium fundata, recte concluditur, huic conuentae decisioni inesse renunciationem, quo fit, vt neque ob laesionem, neque ob instrumenta nouiter reperta, neque per rescriptum impugnari possit, nam reipublicae interest, lites decisas non resuscitari. *l.* 78. §. *fin. dig. ad S. C. trebell.* et *arg. cap.* 20. *de sent. et re iud.*

Atque adeo manifesta est collectio, *concordata nationis germanicae*, vtpote vim pacti ex vtraque parte habentia, ita esse comparata, vt ferenda non sit eorum sententia, qui a pontifice romano *ex plenitudine*, vt aiunt, *potestatis* eis posse derogari, temere magis, an audacter adfirmare haud erubescunt. Ceterum confer. HEINNECCII PANDECT. *lib. II. tit. XV.*

§. CDXLIV.

Ius suum violentia persequi maxime est prohibitum.

Quodsi in legitimis iudiciis temerarie litigandum non est, sed omni modo quaerenda pacifica, amicabilisque compositio, quanto magis detestanda erit eorum audacia, qui absque auctoritate legitima, altero inuito, sibi ius di-

dicunt, et vi illata extorquent etiam. Istud monstri vt aboleretur, ecclesiae canones soliciti fuere, et inde nata est *de treuga* et *pace* tractatio.

§. CDXLV.

Hinc canones non quidem bellis publicis.

Trevgam, *treuiam* vel *treugam* barbara esse vocabula, obscuraeque originis, iisque *inducias* intelligi facile inter omnes conuenit. Sunt autem Indvciae pro conuentione acceptae *pactum publicum inter belligerantes initum, vi cuius actus hostiles manente belli statu inter eos suspenduntur.* Pacis *autem nomine venit pactum publicum inter belligerantes initum, quo controuersia bello agitata per modum transactionis deciditur, ac finitur.*

§. CDXLVI.

Quae iuris gentium sunt.

Ex vtriusque definitionis facta inter se collatione adparet, pacem natura sua perpetuam esse, et in hoc differre ab induciis etiam longioribus, quia haec suspensionem tantum actuum bellicorum temporariam manente bello inducunt; illa vero controuersiae, quae bello causam dedit, finem perpetuum imponit. Sed de his pactis publicis, quae sunt iuris gentium, latius exponere ab instituto nostro prorsus alienum est. vid. Grotivs *de iur. bell. et pac. lib. III. cap.* 20.

§. CDXLVII.

Sed priuatis treugas et paces praeſcribunt.

A pace, et induciis conuentionalibus, quarum ineundarum facultas ad illos ſolos pertinet, quorum eſt ius belli, quam longiſſime diſtare *treugam*, et *pacem* ab eccleſia praeſcriptam omnes facile intelligunt. Eſt autem TREVGA *canonica ceſſatio*, ſeu *ſuſpenſio armorum certis anni temporibus, et diebus*. PAX vero *ſecuritas certis perſonis, manente bello, quo ad reliquas omnes a ſacris canonibus in perpetuum praecepta*, quae vtraque *canonica*, ſeu *legalis* vocari ſolet.

§. CDXLVIII.

Horum canonum hiſtoria.

Occaſionem canonicis his conſtitutionibus dedit belli priuati licentia, quae IVRIS MANVARII nomine iam hernicorum, imo Francorum regum, et imperatorum temporibus tam in Gallia, quam Germania innotuit. Solemne enim tunc praecipue in Germania non ſolum principibus, ſed etiam priuatis fuit, ius ſuum armis perſequi, id quod ſatis honeſte fieri ſibi perſuadebant, modo per literas denunciatum fuerit; vnde non ſolum DIFFIDATIONES in vſu eſſe coepere, ſed et depraedationibus, latrociniis latiſſimus patefactus eſt campus, atque vinculum non ciuile tantum, ſed etiam ſociale prorſus fere diſſolutum fuit. vid. PHILIPP. DATTIVS *de pace publ.*

§. CDXLIX.

Traditur.

Quod malum, quum ex conniuentia imperatorum, diurnaque eorum absentia, ac labefactata inde propemodum auctoritate, et cum primis per varia interregna haud mediocria coepisset incrementa, non statim e medio tolli prorsus potuit; sed per vices saltem temporum, vt par erat, mitigandum fuit, cuius finis caussa varia adhibita sunt media, paxque publica sancita est saepius, modusque non in perpetuum quidem, sed ad tempus diffitationibus his praescriptus est.

§. CDL.

Quidque sit Treuga.

Hinc enatae Trevgae Dei, vt vocabant, quas non soli episcopi, sed et proceres prouinciarum decernebant. Erat autem harum haec forma: Treugas a quarta feria post occasum solis vsque ad secundam feriam post ortum solis; et ab aduentu Domini vsque ad octauas epiphaniae, et a septuagesima vsque ad octauam paschae ab omnibus inuiolabiliter obseruari praeceptum erat adeo, vt si quis treugam frangere praesumserit, et post tertiam admonitionem non satisfecerit, episcopus sententiam excomunicationis dictaret, eamque scriptam vicinis episcopis adnunciaret, quo nemo eorum hac poena adfectum in communionem suam reciperet. vid. *cap.* I. *h. t. ibique* Gonzalez.

§. CDLI.

Et pax canonica exſplicatur.

Ab his, vt dixi, PAX CANONICA ita differt, vt treugae quidem his temporibus armorum ceſſationem inducerent, pax perpetuam. Verum quum illae prodeſſent omnibus, haec nonniſi quibusdam hominum generibus conſulebat, presbyteris ſcilicet, monachis, conuerſis, peregrinis, mercatoribus, ruſticis, euntibus et redeuntibus, et in agricultura exiſtentibus et animalibus, quibus arant, et quae ſemina portant ad agrum. vid. *cap.* 2. *h. t.* GONZALEZIVS *ibid.*

§. CDLII.

Huius rei nullum hodie vſum eſſe docetur.

Verum, quum iactis ab ALBERTO II. et imprimis FRIDERICO III. fundamentis vſus MAXIMILIANVS I. IMP. primum anno 1494. pacem a FRIDERICO conſtitutam ad triennium prorogaſſet, mox anno 1495. *in comitiis wormatienſibus* eadem perpetua lege ſancita fuiſſet, nullam iam inde his canonum ſanctionibus vſum in Germania eſſe, ſatis, vt opinor, liquet.

§. CDLIII.

Alter modus euitandi moleſtias litis eſt ARBITRIVM.

Cauſae controuerſae, niſi transactione ſopitae ſint, haud raro, antequam in iudicium de-

deducantur, per arbitros componi ſolent. Eſt autem ARBITER, *qui ex praeſcripto legis, vel partium compromiſſo eligitur ad cauſam per modum iudicii cognoſcendam, atque definiendam.* *cauſ. II. q. VI. can.* 33.

§. CDLIV.

Nam de arbitris neceſſariis.

Atque hinc patet, arbitrorum duo eſſe genera, *neceſſariorum* et *voluntariorum*. *Illi* ex praeſcripto legis ad certam cauſam eligendi, quo ex genere ſunt, qui ad cauſam ſuſpicionis iudici obiectae intra legitimum tempus probandam conſtituuntur. Ad idem genus referri poſſe videntur epiſcopi, qui priſco chriſtianorum more ad lites dirimendas adſumi ſolebant. Denique cum de reuocandis papae literis contenditur, ad arbitros aliquando eundum eſt. *cap.* 39. *de offic. et pot. iud. deleg. cap.* 41. *ſ.* 1. *de adpellat. l.* 7. *cod. de epiſc. aud. cap.* 14. *de reſcript.*

§. CDLV.

Sed voluntariis hic ſermo eſt.

Nobis de altero duntaxat arbitrorum genere, quos *voluntarios* diximus, hoc loco agendum eſt, de quibus id primo loco tenendum eſt: ad eorum conſtitutionem, et compromiſſum partium, et receptionem arbitri requiri, cuius compromiſſi firmandi cauſa quandoque poena conuentionalis ab eo, qui compromiſſo

non ſteterit exigenda adiicitur. *cap.* 9. 12. *h. t. cap.* 14. *de praeſumt.*

§. CDLVI.

Compromittere in arbitros iis licet, qui libere poſſunt diſponere.

Compromittere vero hi tantum poſſunt, qui liberam de rebus diſponendi facultatem obtinent. Ex quo conſequens eſt, vt procuratores ſine mandato ſpeciali: praelati in cauſa ad eccleſiam pertinente ſine conſenſu capituli: arbitri denique in alios arbitros compromittere nequeant. *cap.* 9. *et* 13. *h. t. cap.* 1. *de his quae fiunt a prael. ſine conſ. cap.*

§. CDLVII.

In arbitros eligi poſſunt, qui cauſam cognoſcere et decidere ſciunt.

Porro, quia arbiter iudicis locum obtinet, facile reddi poteſt ratio, cur illi, qui cauſam cognoſcere, et definire non poſſunt, nec arbitri eligi queant, qua de cauſa nec foemina, ſi iurisdictione ordinaria deſtituitur, nec laicus in cauſa ſpirituali, niſi in clericum ſimul compromiſſio facta ſit, nec excommunicatus, nec demum ſine ſuperioris licentia monachus arbitri officio fungi poſſunt. *cap.* 4. 8. 9. *h. t. cap.* 12. *de ſent. excomm.* Ceterum quia res ad compromittentium voluntatem redit, nihil impedit, quin etiam in infames, filiosfamilias in

cau-

causa patris, et vicissim, quin etiam in iudicem ordinarium compromitti possit.

§. CDLVIII.

Plures eligi arbitros nil obstat.

Nec refert, vnus eligatur, an plures, indefinite, vel sub clausula *in solidum*, quo casu iure nostro malitiosa vnius absentia nihil impedit, quo minus ceteri in causa procedere possint. *caus. III. q. VII. can.* 2. *cap.* 7. *et* 12. *h. t cap.* 2. *eod. in VI.* Interest tamen, quum in duos compromissum est, vt in casum dissensus tertium eligant; sitne tertius iste in compromisso nominatus, an non sit. Nam si illud factum est, eius sententia, quum alterutri adcedit, litem dirimit. In casu posteriori vero, etsi vel maxime arbitri in tertium aliquem consenserint, compromissum eorum robur nullum habet *cap.* 12. *et* 13. *h. t. cap.* 39. *de offic. et pot. iud. deleg. cap.* 61. *de adpellat.*

§. CDLIX.

In caussis priuati tantum arbitrii compromitti potest.

Compromitti de iis tantum rebus potest, quae sunt priuati cuiusque arbitrii. Ex quo intelligi potest, de caussis matrimonialibus: criminalibus: spiritualibus, et beneficialibus compromitti aliter fas non esse, quam eo modo, quo transigere licet. Prohibita porro est com-

promiſſio de cauſa reſtitutionis in integrum; de rebus eccleſiae, cauſisque ſtatus publici, niſi id eo modo fiat, quo alienatio canonibus permiſſa eſt *cap.* 5. 11. *h. t. cap.* 7. *de transact. cap.* 9. *de in integr. reſtit. cap.* 21. *de praeb.*

§. CDLX.

Arbitri officium eſt, vt cauſam cognoſcat.

Quamuis autem integrum ſit arbitro, velitne ſuſcipere arbitrium, an non, ſuſceptum tamen declinare non poteſt, ſed litem ſeruato iuris ordine dirimere cogitur: quapropter etiam de reſtitutione in integrum, quae *ex accidenti* cauſa e interuenit, cognoſcere non prohibetur, multo minus de cauſis praeiudicialibus, ſine quibus controuerſia principalis componi non poteſt, quantumuis ceteroquin compromiſſum ſtricte interpretationis ſit adeo, vt ne cauſa quidem reconuentionis, niſi expreſſa eius in compromiſſo facta ſit mentio, arbitrio contineatur. *cauſ.* XI. *q.* I. *can.* 30. *cap.* 10. *de reſtit. in integr. cap.* 6. *et* 10. *h. t.*

§. CDLXI.

Vt eam decidat.

Quod ſi plures eligi arbitros placet, maioris partis ſententia praeualet: haec ſi obtineri non poſſit, et quidem ex eo, quod in pares numero arbitros compromiſſum ſit, euidens eſt, neutram valere ſententiam, niſi tertius eo, quo

ſuperius commemoraui, modo, electus fuerit: quod ſi vero diſenſus fuerit in quantitate duntaxat, minor obtinet. *cap.* 1. *h. t. cap.* 1. *eod. in VI. cap. fin. de ſent. et re iud.*

§. CDLXII.

Vt ſententiam dicat.

Hoc quoque arbitri officio continetur, vt ſententiam ferat de cauſa compromiſſo comprehenſa, latamque legitime publicet. Neque quidquam impedit, quo minus ab vno ex pluribus arbitris haec publicatio fiat, ſi modo omnium nomine concepta fuerit *cap.* 4. *de ſent. et re iud. in VI.*

§. CDLXIII.

Cuius Effectus traditur.

Cui ſententiae ſimpliciter ſtandum eſt compromittentibus, poteſtque condemnatus a ſuo iudice cogi, quo ſatisfiat, niſi lata ſit contra rem iudicatam: aut ſimoniam, et peccatum contineat; aut forma compromiſſi ſeruata non ſit, aut denique praeiudicium tertii contineat. *cap.* 2. 3. 5. 11. *h. t. cap.* 7. *de confirm. vtili vel inut.*

§. CDLXIV.

Variis modis compromiſſum finitur.

Exſpirat vis compromiſſi, vt ex natura eius liquet, morte alterutrius litigantium, niſi

heredum quoque facta ſit mentio: morte alterutrius arbitri, ita tamen, vt acta coram arbitris vim ſuam non amittant, ſi cauſam poſtea in iudicium deduci placeat: lapſu temporis compromiſſo inſerti: ſententiae latae promulgatione, aliisque pluribus modis, de quibus interpretes Pandectarum *cap.* 10. *et vlt. h. t. cap.* 50. *de teſtib. cap.* 42. *de offic. et pot. iud. deleg.*

Confer. HEINECCII PANDECT. *lib. IV. tit. VIII.*

TITVLVS XXXVII.

DE POSTVLANDO.

TITVLVS XXXVIII.

DE PROCVRATORIBVS.

TITVLVS XXXIX.

DE SYNDICIS.

§. CDLXV.

Connexio.

Quodſi litigantes controuerſiam exortam aut non velint aut non poſſint per amicam compoſi-

positionem finire, veniendum erit in ius, ibique caussa secundum ordinem a legibus et canonibus praescriptum decidenda iudici, legitima auctoritate instructo, committi debebit. Tum partium litigantium intererit, vt, quae aduersus se inuicem habent argumenta, iudici quam adcuratissime proponant.

§. CDLXVI.

Postulantium in iudicio.

POSTVLARE idem est, ac *in iudicio exponere, quae ad disceptationem caussae litigiosae pertinent.* Postulantium ille, qui ius suum in iudicio persequitur ACTOR: aduersus quem id alter persequitur, REVS adpellatur.

§. CDLXVII.

Vnus ACTOR.

AGERE possunt, qui legitimam personam standi in iudicio habent. *leg.* 1. 2. *cod. qui legit. person. standi in iud. hab.* quos inter et *clericos* esse nullum dubium. *cap.* 1. 3. *h. t.* praeter alios autem repelluntur 1.) *minores*, nisi quod puberes admittantur in caussa beneficiali, aliisque spiritualibus. *cap.* 3. *de iud. in VI.* 2.) *religiosi* sine consensu sui superioris, nisi in caussa beneficii, cuius habent administrationem, in caussa defendendi monasterii vel praelati, 3.) *excommunicati* non tolerati romouentur ab ipso iudice: tolerati exceptione repelli possunt; agere tamen permittuntur in caussa suae excommunica-

nicationis: 4.) *praelati ecclesiastici* absque consensu sui capituli, nisi vel causae arduitas vel iura speciatim huius consensum exigant.

CDLXVIII.

Alter REVS *dicitur.*

Regulariter conueniri reique constitui possunt omnes, qui non excipiuntur. 1.) *excommunicatus conueniri potest, et debet per alium respondere in iudicio, ne videatur de sua malitia commodum reportare. cap. 7. de iud.* 2.) *moniales*, nequidem volentes, in persona propria admittuntur. *cap. 2. ibid. in VI.* 3.) *legati* aliorumque negotiorum executores in curia suprema conuenti habent priuilegium reuocandi domum. *cap. vlt. de for. compet.*

§. CDLXIX.

His accedunt I.) ADVOCATI.

Qui possunt et volunt in iudicio stare regulariter non tenentur in persona comparere; *cap. 14. de iud. cap. 1. eod. in VI.* Inde ADVOCATI seu CAVSARVM PATRONI, qui ergo sint *iurium periti, quibus per leges permissum est, pro aliis postulare*, de quibus haec tenenda sunt: 1.) ad officium iudicis spectat, petentibus dare, quem habere non possunt, aduocatum. *cap. 1. de off. iud.* 2.) aduocati in patrocinio praestando subsunt iudici eius fori, coram quo postulant. *can. 2. III. q. VII.* 3.) quidquid

ad-

aduocatus cliente vel praesente, vel subscribente ea, quae in scriptis exhibentur, nomine eius in iudicio exponit; perinde habetur, ac si ab ipso cliente proferatur, nisi quod errorem aduocati in facto commissum intra triduum reuocare liceat. *cap.* 20. *de cens. cap.* 62. *de adpellat.*

§. CDLXX.

Quinam esse possint.

Postulare pro aliis possunt omnes, quibus id ex speciali ratione non est interdictum. *can.* 2. *III. q. IV.* Iure nostro pro aliis postulare interdictum est 1.) *monachis* et *canonicis regularibus*, nisi pro causa ecclesiae suae. *cap.* 2. *h. t.* 2.) *clericis*, maiorum ordinum, et maiori beneficio prouisis, in iudicio seculari, nisi pro ecclesia, cui inseruiunt, et pro coniunctis et miserabilibus personis; contra ecclesiam postulantes beneficio priuantur. *cap.* 1. 3. *h. t.* 3.) *haereticis. cap.* 11. *de haeret.* 4.) *excommunicatis. cap.* 8. *de sent. excomm. in VI.*

§. CDLXXI.

II.) PROCVRATORES.

PROCVRATOR *generatim* est, *qui negotia aliena mandato domini sibi commissa administranda suscipit. cap.* 11. *h. t.* enimuero negotia, quibus gerendis procurator praeest, iudicialia esse possunt, aut extraiudicialia. Inde est,

eſt, quod procuratorem alium *iudicialem*, alium *extraiudicialem* faciant. Porro, quia nihil impedit, quo minus non certa modo, ſed et omnia negotia cuipiam gerenda committantur, et id quidem non a priuatis duntaxat, verum etiam ab vniuerſitate quadam, imo a principe ipſo ſaepe fieri contingat, patet, procuratoris *generalis* a *ſingulari* diſcrimen, nec minus euidens, procuratorem ab *actore*, ſeu *ſyndico*, et a *rationali principis* in iure diſcernendum eſſe.

Nobis hoc loco de eo tantum exponendum eſt, quem vocant *iudicialem*, qui generatim is eſt, qui negotia alterius ſiue actoris, ſiue rei mandato domini in iudicio gerit. Qui negotium rei citra mandatum in iudicio gerit, is non procurator proprie, ſed *defenſor* adpellatur.

§. CDLXXII.

Procurator ſit litis dominus.

In foro romano, antiquis quidem illis temporibus procurator, exceptis paucis caſibus, non admittebatur: quod quum non leui cum incommodo multorum coniunctum eſſet, ciuili temperamento effectum eſt, vt tanquam *litis domini*, ſeruato iuris rigore, admitti poſſe viderentur: quam veterum fictionem decretales non ignorant; nam et hic procurator ad litem vi mandati et accedente litis conteſtatione dominus litis effectus fingitur *cap*. 1. *§*. 1. *cap*. 6. *h. t. in VI.*

Quan-

Quandoquidem autem procuratorem nemo conſtituit niſi dominus; plana conſecutio eſt, procuratorem ipſum ante litem quidem conteſtatam alium ſibi ſubſtituere non poſſe, niſi expreſſa eius rei facultas ei in mandato facta ſit, aut in rem ſuam ſit datus procurator. *vid. cap.* 1. *§.* 1. *et cap.* 3. *h. t. VI.*

§. CDLXXIII.

Procuratorem conſtituit dominus.

Quoniam vero, qui aut a natura impeditur, aut ſpeciali canone prohibetur, tametſi dominus ſit, conſtituere procuratorem nequeat, facile reddideris rationem, cur infantes, furioſi, dementes, pupilli, et minores ſine tutorum curatorumque auctoritate et conſenſu procuratorem conſtituere nequeant. Ex qua etiam ratione excommunicatus, dum vices actoris ſuſtinet, alteri vices ſuas mandare nequit, tametſi, vbi ipſe reus eſt, abſciſſe per procuratorem comparere debeat. *cap. fin. de procurat.*

§. CDLXXIV.

Mandato.

Porro procurator mandato conſtituitur. Ex quo conſequens eſt, vt non modo in iudicio, ſed etiam extra iudicium mandari poſſit, idque aut *expreſſe*, aut *tacite*, et tunc *verum mandatum* intercedere cenſetur. Aliquando mandatum *praeſumitur*, etſi nullum interuenerit. *clem.* 1. *h. t.* Itaque *falſus procu-*

curator eſt, qui talem ſe gerit, licet nec verum nec praeſumtum mandatum habeat. *cap.* 4. 8. *h. t cap.* 33. *de reſcript.*

§. CDLXXV.

Generali vel ſpeciali.

Sed iſtud mandatum ad litem vel *generale* eſt, quo totalis, vel *ſpeciale*, quo certi actus in litem expediendi committuntur. Ad actus expediendos, ex quibus mandatis praeiudicium euenire poteſt, mandatum ſpeciale desideratur, nec generale ſufficit, niſi 1.) in hoc libera cauſae adminiſtratio ſit conceſſa, quod vocatur *mandatum cum libera*, vel 2.) actus varii, ſpeciale mandatum deſiderantes, in eo ſint expreſſi cum facultate ſimiles peragendi. *cap.* 4. 5. *h. t. in VI. clement.* 2. *h. t.*

§. CDLXXVI.

Procurator conſtitui poteſt.

Procuratores conſtitui poſſunt omnes, niſi ex ſpeciali ratione iure prohibeantur. *cap.* 1. §. 1. *h. t. in VI.* prohibentur autem 1.) minores XXV. annis. *cap.* 5. §. 2. *h. t in VI.* 2.) infames: *can.* 1. 2. *III. q. VII.* 3.) excommunicati. *cap.* 9. *de probat.* 4.) clerici in cauſis ſecularibus. *cap.* 2 *et* 4. *ne cler. vel monach.* 5.) religioſi ſine permiſſu abbatis. *clem.* 3. *h. t.* Ceterum nec laicus a cauſarum eccleſiaſticarum procuratione excluditur. *cap. h. t. in VI.*

§. CDLXXVII.

§. CDLXXVII.

Non vnus tantum, ſed etiam plures.

Poteſt vero non vnus modo, ſed et plures procuratores conſtitui, ita quidem, vt vel 1.) omnibus eadem cauſa ſimpliciter et aequo iure committatur, quo caſu omnes eandem *coniunctim* gerere debent, nec alter absque altero procedere poteſt, niſi ſint in *ſolidum* conſtituti. *cap.* 6. *h. t. in VI.* vel 2.) vt vnus principaliter, ceteri in ſubſidium et ſubordinate per modum ſubſtitutionis conſtituantur.

§. CDLXXVIII.

In cauſis omnibus regulariter.

Admittitur procurator in omnibus cauſis, in quibus alius perſonam domini ſuſtinere poteſt, ac proinde non in temporalibus modo cauſis, ſed et eccleſiaſticis, ipſisque adeo matrimonialibus. Criminales cauſae, quum ex illis ciuiliter agitur, procuratorem non reſpuunt, ſecus, ſi criminaliter agitur, niſi illuſtris perſona iniuriarum conueniatur, aut praelatus de ſuſpicione adcuſetur, aut denique abſentia rei excuſetur. vid. *cap.* 5. *et* 10. *h. t. cap. fin. eod. in VI. et cap. fin de iud. in VI. cap.* 15. *de adcuſat. cauſ. II. q. VI. can.* 4. *cauſ. III. q.* 9. *can.* 18. *cap.* 3. *de dol. et contum.*

§. CDLXXIX.

Reuocatione finitur procuratoris officium.

Finitur procuratoris officium *reuocatione cap.* 13. *h. t. cap.* 2. *eod. in VI.* quae autem *expresse* fit, aut *tacite*, quod posterius tum fieri intelligitur, dum nouus constituitur procurator, aut dominus ipse causam principaliter, et sine protestatione agere instituit. *cap.* 14. *h. t.* Quidquid a procuratore legitime reuocato geritur nullum est. *cap.* 8. *t. in VI.*

§. CDLXXX.

SYNDICVS *definitur.*

Regulariter iudex cogere neminem potest, vt ipse in iudicio compareat. Sed neque potest in regula quemquam cogere, vt constituat procuratorem; vniuersitates tamen, et collegia nec comparere aliter facile possunt, nec admittuntur, nisi per SYNDICVM, qui est *procurator ad causas vniuersitatis in iudicio agendas constitutus* vid. *cap.* 1. *et* 14. *de iud. in VI. cap.* 5. *et* 15. *de restit. spoliat. cap.* 2. *de confess. in VI.* Quod igitur de procuratoribus dictum est, etiam syndicis adplicari ratio iuris postulat. vid. *cap. vnic. h. t. cap.* 2. *de in integr. restit. cap.* 5. *de prob.*

§. CDLXXXI.

§. CDLXXXI.

Eiusque a procuratore differentia traditur.

Sed hoc ita verum eſt, niſi euidens ratio aliud exigat. Eſt enim inter hos diſcrimen, 1.) quod ſyndicus iuramentum calumniae praeſtet in animam ſuam, ſecus autem procurator, 2.) quod ſyndicus neceſſario conſtituatur, non item procurator, 3.) quod i le per electionem ſuffragiis maioris partis mandatum nanſciſcatur, hic ſola domini voluntate, 4.) quod ſyndicus officium publicum, hic priuatum gerat, vt cetera non commemorem. *cap. vn. h. t. cap. 2. de in integr. reſtit. clem. vn. de procurat. cap. 3. de iuram. calum.*

Confer. HEINECCII PANDECT. *lib. III. tit. I. ſeq.*

TITVLVS XXIX.

DE

OFFICIO ET POTESTATE IVDICIS DELEGATI.

TITVLVS XXXII.

DE

OFFICIO IVDICIS.

§. CDLXXXII.

Connexio.

His, quae *de actore* et *reo*, iisque, qui eorum vices agunt, diximus, adiungamus nunc, quae *de iudice* in hoc primo decretalium libro tradi ſolent, tanquam praeparatoria ad ſecundum earum librum, vbi mox de iudiciis ipſis plura explicabimus.

§. CDLXXXIII.

In omni bene ordinata ſocietate iudex eſt neceſſarius.

Quemadmodum in omni alia ſocietate inaequali hoc iuſtum eſſe ratio ipſa docet, vt priuata iuris ſui perſequendi facilitas ab eius felicitate aliena ſit; ita in eccleſiaſtica ſocietate cauendum non minus videbatur, ne ſuus quisque controuerſiarum eſſet arbiter; ſed vt eſſet poteſtas aliqua, quae litibus terminandis praeeſſet, quam *iuris dicundi* poteſtatem adpellare poſſumus.

§. CDLXXXIV.

Ivdex ecclesiasticvs.

Ivdex ecclesiasiasticvs eſt *perſona, quae iurisdictioni praeeſt, populoque chriſtiano ad normam legis eccleſiaſticae ius dicit, aut a lege, aut ab homine ad id conſtituta.*

§. CDLXXXV.

§. CDLXXXV.

Cuius officium paucis describitur.

Cuius *officium* est, meminisse se hominem, cogitare tantum sibi permissum, quantum commissum, ac creditum sit, et non solum sibi potestatem datam, verum etiam fidem habitam esse meminisse, posse, quem oderit, absoluere, quem non oderit, condemnare, et semper, non quid ipse velit, sed quid lex, et religio cogitare. vid. *can.* 11. *XXX. q. V. cap.* 11. §. 4. *de rescript. in VI.*

§. CDLXXXVI.

Est vel Ordinarivs.

Ivdex ordinarivs ille est, *qui iurisdictionem ex lege habet, eamque nomine ac iure proprio, et vi officii sibi competentis exercet.* Quam ob rem ordinaria gaudere iurisdictione concilia generalia, pontificem ecclesiae romanae, patriarchas, metropolitas, episcopos, conciliaque ecclesiarum particularia perspicue adfirmari posse, nemini puto fore ambiguum.

§. CDLXXXVII.

Vel delegatvs.

Ivdex delegatvs est *persona idonea, cui homo vel lex vices suas in cognitionem certae*

tae causae controuersae extra ordinem committit. vid. *cap. 27. h. t.*

§. CDLXXXVIII.

Et hic quidem vel a IVRE.

Iurisdictionem delegat vel *ius* vel *homo*: a iure fit delegatio, dum sine facto hominis per legem vniuersim latam quibusdam personis causae nonnullae non vi officii, et nomine proprio, sed alieno tractandae committuntur.

Vid. *cap. 13. de offic. iud. ord. clem. vn. de suppl. negl. praelat.* IVRE NOVISSIMO in CONCIL. TRID. *Sess. V. cap. 2.* et *passim alibi* committitur episcopis, vt tanquam *legati sedis apostolicae* contra exemtos in quam plurimis causis procedant.

§. CDLXXXIX.

Vel ab HOMINE.

Homo, seu ille superior delegat, a quo iurisdictio principaliter dependet, quique ordinariam habet, quo in numero sunt pontifices, ac episcopi. Ex quo consequens est, vt delegati subdelegare non possint, nisi aut expresse aut tacite haec eis concessa fuerit potestas: quod quidem factum censetur in delegatis pontificis ob eminentem eorum dignitatem, eo quod delegare pontifex non soleat, nisi in dignitate ecclesiastica constitutis, tum et, si capitulum, aut aliud corpus illustre delegetur.

tur. *vid. cap.* 11. *de rescript. in VI. cap.* 43. *h. t. et cap.* 12. *eod. in VI.*

§. CDXC.

Delegandi qualitates.

Iurisdictio deleganda est *personis idoneis*, quae aestimantur tum ab *aetate*, tum etiam a *dignitate*, quam in pontificis delegatione omnino requirunt. Rationem quoque esse habendam praecipiunt *qualitatis causae*, vt ne causa ecclesiastica, nisi clerico delegetur, et *morum*, ne qua laborent suscipione, ob quam recusari possint? vid. *cap.* 17. *et* 41. *h. t. cap.* 11. *de rescript. in VI.*

§. CDXCI.

Possunt etiam plures simul delegari.

Delegari etiam plures nihil impedit. Quod fieri solet fere duplici modo, *definite*, quod quum fit, alter absque altero procedere in causa nequit, nisi is, qui impeditur, vices suas alteri mandauerit, aut *indefinite*, adiecta clausula vel *conditionali: si non omnes*, vel *disiunctiua: vt vnus aut duo, aut omnes procedant.* Et *priore* quidem in casu, si vnus eorum aut non possit, aut non velit interesse, reliqui iure duntaxat suo pergere porro in causa possunt, de quo exactis constet necesse est. At si casus *posterior* existat, etiam vnus eorum iure praeuentionis alios excludit; quam-

quam nihil quoque impediat, quo minus illo cessante, reliqui causam ad finem valeant perducere. vid. *cap.* 34. *h. t. cap.* 6. *et* 8. *eod in VI. cap.* 13. *de rescript. cap.* 6. *de procurat. in VI. cap.* 11. *de haeret. in VI.*

§. CDXCII.

Causae delegari possunt.

Delegari potest aut *causae omnis cognitio, etiam cum exequendi potestate*, id quod a pontifice fieri solet, aut *pars eius* duntaxat, veluti *executio*, quo ipso satis euidens est discrimen, quod intercedit inter *delegatum cognitionis, et executionis*, quippe qui omni distitutus est cognitione. vid. *cap.* 7. 26. 27. 28. *h. t. cap.* 24. *de rescript.*

§. CDXCIII.

Diuersimode.

Potest quoque delegari principium, medium, et finis causae. Et *principium* quidem, veluti citatio, litisue contestatio: *medium*, vt quum causae disquisitio omnis inde a lite contestata vsque ad sententiam committitur: *finis* demum, quum definitiua sententia, reseruata executione, delegatur. vid. *cap.* 27. 28. *h. t.*

§. CDXCIV.

§. CDXCIV.

Delegati officium speciale.

Ceteroquin cauere debet delegatus, vt mandati formam, si qua praescripta est, adcurate seruet. Quamquam, eo ipso, quod causa ei commissa sit, plena ei tributa censeatur potestas omnium, quae ad causam ipsam pertinent, ac sine quibus officium suum explere non potest, tametsi nihil eorum literis commissionis contineatur. vid. *cap.* 13. *cap.* 37. 39. *h. t. cap.* 22. *de rescript. cap.* 13. *h. t. in VI.*

§. CDXCV.

Differentia inter delegatum papae et ordinarii.

Ex persona delegantis dignitatem nanciscitur delegatus *pontificis*, eaque de causa potestatem habere dicitur non solum in partes, sed et in alios, qui iurisdictionem eius impediunt, etiamsi eo sint multo superiores. Porro subdelegatum cogere potest ad causam suscipiendam habita tamen dignitatis, et personae ratione. Sententiam a se latam exequitur vsque ad annum, quod in delegato *ordinarii* secus est, qui non ipse, sed ordinarius eam exequitur. vid. *cap.* 1. 7. 11. 21. *et* 26. *h. t.*

§. CDXCVI.

Ille quandoque solam exemtionem delegat.

Quod si pontifex, vel eius delegatus iudici ordinario executionem simpliciter committit, in ea causa non iudex, sed *executor* duntaxat dicitur adeo, vt de iustitia sententiae nihil queat decernere, *sed eam, etsi sciat, esse iniustam, exequi teneatur, quum eidem non cognitio, sed executio tantum fuerit demandata.*

Ita decidit INNOC. III. *in cap.* 28. *§.* 3. *de offic. et pot. iud. deleg.* cuius decisionis rigorem subiuncta aequissima hac clausula temperauit; *nisi apud eum* (pontificem vel eius iudicem delegatum) *efficere possit, vt ab hoc onere eum absoluat.*

§. CDXCVII.

A delegato adpellatur ad superiorem delegantis.

A delegato pontificis adpellatur ad delegantem, a subdelegatis vero, si quidem tota eis causa commissa fuerit, ad primum delegantem, sin pars, ad subdelegantem causa per adpellationem deducenda est. Si ex tribus delegatis duo causam subdelegauerint, tertius vero ipse officio suo sit functus, adpellatio non ad subdelegantes, sed ad primum delegantem deuoluitur. vid. *cap.* 18. 26. 38. *de offic. iud. ord. et cap.* 3. *eod. in VI.*

§. CDXCVIII.

§. CDXCVIII.

Modi, quibus exſpirat.

Officium delegatorum exſpirat variis ex cauſis, et 1.) quidem *morte delegantis*, ſi modo res adhuc integra ſit. Quin litis pendentia conſtituta, ſi executio gratiae commiſſa eſt, ne morte quidem exſpirat, 2.) *morte delegati*, niſi vel officio fortaſſe delegatio facta eſt, aut cum clauſula: *ſi non omnes.* vid. *cap.* 19. 30. *h. t. cap.* 6. 7. 9. *eod. in VI.*

§. CDXCIX.

Officium delegati.

Extinguitur etiam 3.) *reuocatione*, quae re adhuc integra facta ne ſubdelegantibus quidem interdicta eſt, 4.) *finito negotio* commiſſo. 5.) *lapſu temporis*, niſi communi partium conſenſu, idque durante adhuc iurisdictione fuerit prorogatum. 6.) *contrario reſcripto*, modo prioris in eo facta ſit mentio, 7.) *recuſatione*, ſi iuſta ſuſpicionis cauſa remoueri poſtulatur, 8.) *impedimento.* Nam ſi plures dati ſint ſimpliciter, vno impedito reliquorum etiam exſpirat iurisdictio; ſin dati plures ſub clauſula: *ſi non omnes*, atque aliquis eorum perpetuo laborare impedimento coeperit, eius quidem ceſſare iurisdictionem neceſſe eſt. vid. *cap.* 4. 9. 26. *h. t. cap.* 6. 7. *eod. in VI. cap.* 3. *de reſcript.*

§. D.

§. D.

Quos inter est REMOTIO *ob causam suspicionis.*

Quod de remotione ob causam suspicionis diximus, ea ita comparata est, vt ne quidem exclusa censeatur, etsi adiecta rescripto sit clausula: *remota recusatione* ceterum moribus, praestito PERHORRESCENTIAE IVRAMENTO, causa suspicionis neque adleganda est, neque probanda. vid. *cap.* 25. *h. t. cap.* 11. *de rescript. in VI.*

§. DI.

De qua vel condelegati vel arbitri statuunt.

Ceterum, si contra vnum ex duobus iudicibus cum illa clausula, *quod si ambo interesse non possint, alter eorum in causa procedat*, a sede apostolica de delegatis suspicionis causa legitima proponatur, causa ipsa suspicionis coram non recusato coniudice, ad quem vi praedictae clausulae debet ipsius causae cognitio pertinere, probari, et ab eo expediri debebit. Vbi vero dicta clausula rescripto non est inserta, debet super hoc ad *arbitros* recursus haberi. Quum autem ipse delegatus episcopi recusatur, recusationis causa coram episcopo est probanda. Idem est, si officialis eiusdem accusetur, licet ad ipsum ab eodem officiali nequeat adpellari. *cap.* 4. *h. t. in VI.* add. *cap.* 39. *X. eod.*

LI-

LIBER II.
DECRETALIUM
GREGORII IX.

TITVLVS I.

DE IVDICIIS.

TITVLVS II.

DE FORO COMPETENTE.

§. DII.

IVRISDICTIO ECCLESIASTICA.

Iudex sine iurisdictione concipi nequit. Est autem IVRISDICTIO ECCLESIASTICA *potestas publica ius dicendi caussis et personis potestati ecclesiasticae subiectis.* (vid. P. I. cap. VIII.)

§. DIII.

§. DIII.

I.) ESSENTIALIS.

Poteſtas eccleſiae iudicaria PROPRIA alia eſſe nequit, quam ea, quam Chriſtus Apoſtolis ſuis tradidit, communicandam deinceps, qui ab eis conſtituerentur, epiſcopis eccleſiam Dei recturis, *ſpiritualis* ſcilicet, et *ad negotia ſpiritualia* pertinens. Nam ne ipſe quidem CHRISTVS, dum in terris verſaretur, aliam vnquam poteſtatem exercuit.

A poteſtate ſane iudiciaria *rerum temporalium* adeo abhorruit, vt ne arbitri quidem munere in haereditate inter fratres diuidenda fungi vellet, dicens: *Quis me conſtituit iudicem ſuper vos?* LVC. XII. 14.

§. DIV.

Eius limites.

Atque hos quidem limites prima illa naſcentis eccleſiae aetas ſollicite obſeruauit, quin vlli antiſtitum veniret in mentem, quidquam poteſtatis in cauſas temporales ſibi vindicare.

§. DV.

II.) ADVENTITIA *ſeu adquiſita.*

Itaque de eccleſiaſtica iurisdictione non temere iudicaturus, operam imprimis det neceſſe eſt, vt poteſtatem iudiciariam eccleſiae

pro-

propriam, atque *essentialem* non commisceat cum *accessionibus*, quae aut principum summorum indulgentia, aut vsu magis, quam iure constituto eidem adhaeserunt.

§. DVI.

Modi adquisitionis erant.

Quamquam enim fatente ipso pontifice *in cap. 7. qui fil. sint legit. causae ciuiles* ad forum ecclesiasticum non sint pertrahendae; non deerant tamen praetextuum inuolucra, quibus id efficeretur, vt praecipua causarum ciuilium pars ad forum pertinere ecclesiasticum existimaretur. Etenim fatendum est, iam inde a seculo IX. iurisdictionis vtriusque ciuilis et ecclesiasticae limites mirifice fuisse perturbatos.

§. DVII.

I.) *Ratio peccati.*

Quae latissime patebat extendendae iurisdictionis ecclesiasticae causa, qua haud dubie abusi sunt, est *peccati ratio*, qua causam tametsi ciuilem, quum subesset peccandi periculum, episcopalis esse cognitionis contendebant. Sane Innocentivs III. hoc nixus fundamento, sui esse muneris opinabatur componere litem, quae Philippvm *Augustum*, regemque angliae colliserat. vid. *cap. 13. de iudiciis.*

§. DVIII.

Cui originem suam debet.

Quare nihil mirum, tanta compulsos auctoritate ceteros quoque episcopos, iisdem ex rationibus causas ciuiles ad se adduxisse, qua etiam potestate non mediocriter vsos fuisse, argumento esse possunt controuersiae ea de causa exortae, vindicantibus hinc iurisdictionem suam ducibus, ac comitibus, illinc abreptam semel potestatem defendentibus episcopis.

§. DIX.

DENVNCIATIO EVANGELICA.

Has inter contentiones nouum aliquod, et extraordinarium inualuit iuris remedium, quod DENVNCIATIONEM *euangelicam* vocant, cuius praetextu constat, non raro pontifices Romam causas auocasse non sine graui omnium rationum offensione.

Qua de re conquesti sunt Germani in centum grauaminibus in comitiis norimbergensibus oratori papae oblatis ap. SCHILTER. *de libert. eccles. germ. lib. VII. cap.* 2. §. 9.

§. DX.

Quae definitur.

Definiunt hoc iuris remedium his verbis, vt sit *remedium extraordinarium canonicum, quo aliquis iuris ciuilis actionibus, et auxiliis* de-

destitutus aduersus peccantem in subsidium vtitur, quem duplici monitione priuata, et testibus adhibitis praemissa, et a peccatore spreta ecclesiae denunciat, petitque, quo ipsa denunciatum, vt de peccato exeat, et ad poenitentiam, consequenterque rei iniuste detentae restitutionem ecclesiasticis mediis, et censuris cogat, compellatue. vid. DE IENA *tract. de denun. euangel.*

§. DXI.

Atque reiicitur.

Verum enimuero, si originem denunciationis euangelicae, si rationes, quibus eam inniti volunt; spectes, eam fatendum est, ita esse comparatam, vt ea quidem vi, quam ei tribuunt interpretes, admitti omnino nequeat. *Ecclesia de peccatis iudicat*, inquit vir doctissimus, *in foro interno, dum peccator se adcusat, aut etiam in foro externo, dum crimen est publicum et cum scandalo coniunctum: verum iudicium eiusdem vel salutaris poenitentiae impositione, vel separatione a communione fidelium absque vllo in temporalia influxu finitur.* FLEVRIVS *discurs. VII. in histor. ecclesi.*

§. DXII.

2.) *Negligentia iudicis laici.*

Alteram proferendae iurisdictionis causam in *negligentia iudicis laici* quaerebant, quae

vt *suppleretur*, cuiquam litiganti datam esse potestatem aiunt ad iudicem ecclesiasticum prouocandi: quod auctoritate sua firmauit pontifex. vid. *cap.* 6. *et cap.* 10. *h. t.* quem morem, quam moleste tulerint Germani, ex iis, quae modo commemorauimus, grauaminibus liquet *ap.* SCHILTER. *cit. loc.* §. 10.

§. DXIII.

3.) *Iuramentum negotiis adiectum.*

Prosequamur reliqua: *iuramenti* promissorii ea est vis, vt quum accedit pacto, ex parte promittentis haud inualido, nouam, eamque a vi pacti discretam obligationem producat: quo ex principio doctrina canonistarum deducta est, vt contractum iureiurando firmatum foro ecclesiastico vindicandum censerent. *Nunquid non poterimus*, inquit pontifex, *de iuramenti religione cognoscere, quod ad iudicium ecclesiae non est dubium pertinere.* vid. *cap.* 13. *de iudic. cap.* 3. *h. t. in VI.*

§. DXIV.

Idem.

Hac doctrina semel recepta, quum, vt ait MORNACIVS *ad l.* 8. *cod. de episc. audient.* nunquam fere omiserint tabelliones adiicere praestitum a contrahentibus sacramentum de seruandis, quae pepigissent: idque haud minus saepe in publicis quoque foederibus obseruaretur,

tur, haud equidem miror, veteres quaeri ſaepiuſcule, iudicia ſecularia paſſim deſeri, atque ad nomen prope inane redigi. Et quod ad Germaniam quidem noſtram pertinet, principes inter grauamina, quae exhibebant, hoc quoque recenſuerunt. *ap.* Schilter. *lib. VII. cap.* 2.

§. DXV.

Forvm ecclesiasticvm *competens.*

Forvm eſt *locus exercendae iurisdictionis:* Competens id forum eſt, in quo ſedet is, cuius iurisdictioni ſeu *cauſa*, de qua inter ſe actor, et reus litigant, ſeu *perſona*, a qua quid praeſtandum eſſe contenditur, ſubiecta eſt. Quam ob rem competentia fori eccleſiaſtici eſt vel *ratione cauſarum*, vel *ratione perſonarum.*

Et ſiquidem forum eccleſiaſticum competens eſt intuitu cauſae, de qua lis mota eſt, nulla habetur perſonae ratio, laicus ille ſit, aduerſus quem agitur, an clericus: Quum contra diuerſus rei ſtatus competentiam fori diuerſimode determinet.

§. DXVI.

I.) Ratione cauſarum.

Cauſas ad forum eccleſiaſticum relatas commode ad tria retuleris: *ſpirituales* et religionem immediate concernentes: *temporales*, ac denique *mixtas.* Atque de illa ſpecie intelligendum eſt Concilivm Lateranense

ſub INNOCENTIO III. celebratum, dum generaliter prohibet, *ne ſuper rebus ſpiritualibus compromittatur in laicum, quia non decet, vt laicus in talibus arbitretur.* vid. *cap.* 8. *de arbitris.* Temporales enim, et eatenus etiam mixtae, iurisdictioni et foro eccleſiaſtico conſenſu principum ſubiiciuntur. (§. 503. ſup.)

§. DXVII.

II.) Ratione perſonarum.

Hactenus de foro competente eccleſiaſtico quod ad cauſas. Nunc ratione perſonarum id, quale ſit, videamus. *Clericorum eſſe forum eccleſiaſticum proprium* conſtat; at huius priuilegii quae ſit origo, qui limites, quisque vſus copioſe diſputari ſolet. Res omnis ab origine petenda eſt.

§. DXVIII.

Ex ſacra ſcriptura demonſtratur.

Mens Chriſti quae fuerit, quem alium magis idoneum teſtem adducam, quam *Apoſtolos* PETRVM et PAVLVM? quorum *ille*, dum fidelibus Ponti, Galatiae, Cappadociae, Aſiae, et Bithyniae ſcriberet: *Subiecti eſtote, omni humanae creaturae propter Deum, ſiue regi, qua praecellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei.* 1. PETRI *cap.* 2. *Hic* autem ad romanos ſcribens:

om-

omnis, inquit, *anima poteſtatibus ſublinioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas, niſi a Deo: quae autem ſunt poteſtates, a Deo ordinatae ſunt, itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Quae* PAVLVS, quum ad omnes ſanctos Dei ſcribit, quorum in numero haud dubie et illi erant, qui euangelio praedicando praeerant, perſpicuum eſt, praeceptum Apoſtoli ad clericos non minus, quam laicos pertinere. EPIST. *ad Rom. cap.* 13.

Scio ego, BELLARMINVM ita hunc locum accepiſſe, vt doceret, vtramque poteſtatem ciuilem, et eccleſiaſticam eo intelligi, et cuique ſuam poteſtatem obſeruandam praecipi. Sed ſeruit libenter cauſae ſuae ſcriptor hic etiam contra traditionem Patrum. Deinde locus ipſe BELLARMINI expoſitionem haud patitur; ita enim APOSTOLVS poteſtatem deſcribit, vt nullo modo de eccleſiaſtica intelligi queat: *Non enim ſine cauſa gladium portat*, inquit, *Dei enim miniſter eſt, vindex in iram.* Porro poteſtas, cui voluit ſubditos eſſe fideles, eadem eſt, cui tributa praeſtanda ſunt; haec autem non alia, quam ciuilis. Denique cui tandem alteri poteſtati ſubiectos eſſe debere, docere potuit PAVLVS, quae praeter ciuilem tum quidem inter chriſtianos nulla fuit.

§. DXIX.

Clericos in cauſſis temporalibus, aeque ac laicos.

Qui ſe poteſtati ſeculari ſubiicit clericus, immaniter peccat, ſi canoniſtis credimus. APOSTOLVS, vt vidiſtis, contra non docuit modo, ſed egit etiam ad CAESAREM adpellans, ma-

gistrum suum diuinum imitatus, qui non modo iudicari se a PILATO sustinuit, sed et eam ei coelitus datam esse potestatem profitetur. vid. ACTOR. cap. 25. *quid secularitatem contemnitis*, inquit S. BERNARDVS *in epist. ad archiep. senon. nemo secularior* PILATO, *cui* DOMINVS *adsistit iudicandus. Non haberes, inquit, in me potestatem, nisi tibi data esset desuper: iam tunc pro se loquebatur, et in se experiebatur, quod per* APOSTOLOS *clamauit in ecclesiis. Non est potestas, nisi a* DEO.

HOC PAVLI factum, et ductum ex eo argumentum, quum esset BELLARMINO nimis molestum de facto illud. non de iure est interpretatus, *in tract. de potest. S. pontif. tempor. aduers. Guil. Barclai. Monachii a.* 1712. *cap.* 3. reddita ratione, quod quaestio, de qua adcusabatur Paulus, ad magistratus, et caesarem non pertineret. Sed potuitne putare Bellarminus ob quaestionem, nescio quam, theologicam adcusatum fuisse Apostolum, qui ipse longe aliud docet, quando neque in legem, neque in templum, neque in caesarem se peccauisse ait ACT. 25. quid? an CHRISTVS de facto tantum agnoscit caesarem, quando illi tributum dari praecepit.

§. DXX.

Iurisdictioni seculari subesse.

Ex quibus liquere puto, tantum abesse; vt clerici *iure diuino* in causis ciuilibus exemti sint a iurisdictione ciuili, vt ex eodem ipso manifestum sit, eos huic subiectos esse: quod ipsum

ipſum theologorum non minus, quam canoniſtarum melior pars profitetur.

§. DXXI.

Qui immunitatem clericorum perſonalem.

At ne reticere velle videar, quae ſuae ſententiae defendendae cauſa ſcripta in ſacris literis exiſtimant, ſciendum eſt, vti eos plerumque iis, quae ſunt e PSAL. CI. *nolite tangere chriſtos meos:* quod aduerſariorum interpretatione idem eſt, ac *poteſtates laicae! nolite homines conſecratos vllo modo vobis ſubiicere.* Minus recte: cur enim diſſimulant, prophetae ſermonem eſſe de iniuria, qua adficiebatur ſemen Abrahae, vt dilucide ex iis conſtat, quae antecedunt, quaeque proxime conſequuntur. Ecquid autem ordinarium iudicium confundunt cum iniuria? Praeterea animaduertendum fuit, Dauidem non ad magiſtratus ordinarios ſermonem eum feciſſe, ſed ad principes extraneos populo Dei interitum minitantes. Namque alias ſatis conſtat, Moyſem in leuitas et ſacerdotes poteſtatem ſuam exercuiſſe, et Dauidem poſt vnctionem regalem vtrique ordini in profanis ſumma cum poteſtate praefuiſſe.

§. DXXII.

Iuris diuini eſſe adſerunt.

Sed nec obeſt illud CHRISTI *ap.* MATTH. XVII. *Ergo liberi ſunt filii:* de quo dicam, quum de immunitate reali praecipiam. Id ſilen-

lentio praeterire non debui, quod vir quidam doctus ad hunc locum aptiſſime monuit: *fuit hoc vitium aliquando aeui, vt ſacros textus, qui omnibus chriſtianis commune ius faciunt, in praerogatiuam ſolorum clericorum interpretaremur. Huius generis illa eſt interpretatio*, BERTRANDI, *qui modo textum* PAVLI: *an neſcitis, quia mundum iudicabimus. I.* COR. *VI. modo* PETRI: *vos eſtis gens ſancta I.* PETR. *XI.* 9. *mere in fauorem clericorum explicauit.* vid. R. P. OBERHAVSER. *vir doctiſſimus in praelect. canon. h t.*

§. DXXIII.

Refutantur.

At enim e diuino iure hanc immunitatem profluxiſſe aiunt IOANNEM P. *ap.* GRATIANVM *diſt. XCVI. can.* 11. quum ait: *non a legibus publicis, non a poteſtatibus ſeculi, ſed a pontificibus, et ſacerdotibus omnipotens Deus chriſtianae religionis clericos, et ſacerdotes voluit ordinari, et diſcuti:* quod idem docuiſſe aiunt BONIFACIVM VIII. *in cap.* 4. *de cenſib. in VI. et* CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXV. de reform. cap.* 20. Sed, vt mitius loquar, notandum eſt, quod iuxta morem in conſtitutionibus pontificiis receptum diuino iure quid ſtatutum eſſe dicatur, quod ab aliqua veteris teſtamenti, aut antiquorum conciliorum auctoritate originem duxit. Quod quidem velim factum nunquam eſſe, quia harum rerum animos non ſatis peritos turbat, et temere ius diuinum cum huma-

humano, aut diuino quidem, ſed chriſtianos non obligante permiſcet.

§. DXXIV.

Qui eam ex iure eccleſiaſtico deducunt.

Sunt autem, qui etſi negare non audeant, hanc exemtionis ſpeciem diuini iuris non eſſe, contendunt tamen, liberum eſſe pontifici pro ſuo arbitrio clericos a iurisdictione ſeculari eximere. Eſt autem ratio eorum haec: pontifici ius eſt diſponendi de rebus eccleſiae, prout vtile videtur: vtile autem erit, eccleſiaſticos non miſceri rebus ſecularibus, ne ab officio ſuo auocentur *II.* TIMOTH. 2. Addunt deinde ius iſtud principes in pontificem vno conſenſu tranſtuliſſe.

§. DXXV.

Pariter refutantur.

Verum mira haec iuris eſt philoſophia. Quid, quia mihi vtile eſt aliquid fieri, egone iuſtum eſſe putem? Atqui vtilitati religionis cedere tamen debet temporaria vtilitas. Demus iſtud: quae eſt tandem vtilitas religionis, ſi clericum ad forum eccleſiaſticum pertrahas? ne ſecularibus, inquis, negotiis implicentur. At ego putabam, de cauſis ciuilibus clericorum nobis eſſe ſermonem, quas, quis putet, ſeculares eſſe deſinere, quum in foro eccleſiaſtico peraguntur. Cur autem epiſcopi cauſas clericorum ciuiles ſuo foro vindicantes non reſpi-

ciunt

ciunt illud PAVLI ad TIMOTHEVM: *nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſecularibus.* Deinde qua ſane ratione haec pontifici tribui poteſt poteſtas, niſi eam conſtet eidem a Deo traditam eſſe?

§. DXXVI.

Itaque immunitas clericorum a foro ſeculari.

Quod ſi igitur nec diuini iuris haec clericorum immunitas eſt, nec eccleſiaſtici, reliquum eſt, vt *priuilegium* eſſe dicamus *principum chriſtianorum* pietati debitum. Et vero eſt ita ſane. SOZOMENVS maximi, quo eccleſiam adfecit, beneficii CONSTANTINVS mentionem faciens: *illud plane maximum reuerentiae imperatoris erga religionem argumentum* eſſe laudat, *quod omnes vbique clericos immunitate donauerit, et lege hac de re ſpecialiter data, litigantibus permiſerit, vt ad epiſcoporum iudicium prouocarent, ſi magiſtratus ciuiles reiicere vellent. hiſtor. lib. I. cap. 9. idem prorſus tradidit.* NICEPHORVS *lib. VII. hiſt. eccleſ. c.* 46.

§. DXXVII.

Priuilegiis principum.

Prima haec ſunt exemtionis huius veſtigia, ſed tenuia admodum. Nemo enim vi harum conſtitutionum, ne aduerſus clericum quidem coram epiſcopo experiri *cogebatur*, id quod aperte lex docet MARCIANI IMP. anni 456.

cuius

cuius haec ſunt verba: *quod is, qui clericum conſtantinopolitanum perſequitur, nec archiepiſcopi iudicium ſubire cupit alibi, quam coram praefecto praetorio contendere nequeat.* add. *l.* 33. *cod. de epiſc. et cler.*

§. DXXVIII.

Debetur.

Anteceſſorum ſuorum leges collegit, confirmauitque IVSTINIANVS IMP. in NOVELL. 83. 123. *cap.* 21. Porro prohibuit, *ne epiſcopus in quacunque cauſa ciuili ad ſecularem iudicem trahatur: ſed neque pro qualibet pecuniaria cauſa; vel criminali epiſcopum ad iudicem ciuilem, aut militarem inuitum perducere, aut exhibere citra imperialem iuſſionem permittimus.* vid. NOV. 123. *cap.* 8. quam conſtitutionem retulit quidem GRATIANVS *cauſ. XI. q. I. can.* NVLLVS: ſed omiſit *inuitus*: et poſtrema *citra imperialem iuſſionem.*

§. DXXIX.

Id quod ex hiſtoria demonſtratum eſt.

Atque hanc epiſcoporum in decidendis clericorum cauſis auctoritatem, eorumque a iurisdictione ſeculari exemtionem conſequentium aetatum imperatores et reges renouarunt ſaepius, confirmaruntque.

Nullus eccleſiaſticam perſonam in criminali quaeſtione, vel ciuili trahere ad iudicium ſeculare praeſumat, contra

con-

constitutiones imperiales, et canonicas sanctiones statuit FRIDERICVS II. IMP. *in constitutione de statutis, et consuetudinibus contra libertatem ecclesiae* editis. Ex qua desumta est AVTHENT. STATVIMVS *cod. de episc. et cler. lib. I. capitul. cap.* 28. quo conformiter *ad canonem* 9. CONCILII CHALCEDONENSIS cauetur: *si clerici inter se negotium aliquod habuerint, a suo episcopo diiudicatur, et non a secularibus.*

§. DXXX.

Huic priuilegio renunciari non potest.

IVS DECRETALIVM si spectes, clericus in causis tam *personalibus*, et *pecuniariis*, quam *ex delicto ortis* in foro ecclesiastico conueniendus est adeo, vt ne renunciare quidem eidem possit, hac reddita ratione: *quia pacto priuatorum iuri publico minime derogatur*: quin nec iuramentum licite seruari posse docet INNOCENTIVS III. P. quod contra canonica statuta illicitis pactionibus informatur. *cap.* 12. 13. *de for. compet. cap.* 4. 8. *de iudic.*

Aliter olim ratiocinatus est IVSTINIANVS IMP. *in l.* 51. *cod. de episc. et cler.* quum ita cauet: *si quis in conscribendo instrumento se se confessus fuerit non vsurum fori praescriptione propter sacerdotii praerogatiuam, sancimus, non licere aduersus sua pacta venire, et contrahentes decipere, quum regula sit iuris antiqui: omnes licentiam habere his, quae pro se indulta sunt, renunciare.* Hanc legem canonistae abrogatam ab Innocentio docent: quo iure, ego me nondum potuisse perspicere fateor.

§. DXXXI.

§. DXXXI.

Estque forum hoc priuilegiatum vel commune.

Est autem *forum clericorum* duplex *commune* et *proprium*: *commune* est romana, seu apostolica sedes, veluti omnium ecclesiarum mater, seu magistra, in qua proinde omnis clericus in vrbe deprehensus, nisi ius reuocandi domum pro se adlegare possit, conueniri recte potest.

Ciuis romanus, tametsi alibi domicilium haberet, Romae deprehensus, tanquam in communi omnium foro originis conueniri poterat *l. 33. cod. ad municipal.* Nisi donum reuocandi ius haberet, quod GREGORIVS IX. P. ad forum ecclesiasticum adplicat: *cap. fin. h. t.*

§. DXXXII.

Vel PROPRIVM.

Proprium autem forum est, quod habet clericus, aut *ratione dioeceseos*, cuius est dioecesanus, aut *ratione domicilii*, aut denique *ratione beneficii*, quod residentiam exigit. Ex quo perspicue consequitur, vt 1.) si quis pluribus fruatur beneficiis, quae diuersis in dioecesibus sita sunt, in singulis conueniri possit, 2.) si beneficium sit eiuscemodi, vt in eo residere haud teneatur, in foro beneficii aduersus eum agi nequeat, nisi ratione huius beneficii, modo alio loco habeat domicilium, 3.) vt, quia episcopus beneficium habet in prouincia archiepiscopi, hunc etiam velut iudicem sibi compe-

ten-

tentem reuereri teneatur. vid. *cap.* 3. *de temp. ord. in VI. cap.* 7. *de offic. ordin. in VI.*

§. DXXXIII.

Omnes clerici eo gaudent.

Priuilegio isthoc fori gaudebant clerici omnes, etiam, qui tonsuram tantum habent: quin et coniugati. At vero CONCILIVM TRIDENTINVM certis tantum cum conditionibus id obtinere voluit: *fori priuilegio*, decernunt patres, *non gaudeant clerici prima tonsura initiati, aut etiam in minoribus ordinibus constituti, nisi beneficium ecclesiasticum habeant, aut clericalem habitum, et tonsuram deferentes alicui ecclesiae ex mandato episcopi inseruiant, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel vniuersitate de licentia episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versentur.* vid. *cap.* 2. *h. t. cap. vn. de cleric. coniug. in VI.* TRIDENT. *sess. XXIII. cap.* 6. *de reform.*

§. DXXXIV.

Depositi etiam et suspensi.

Est autem ius istud speciale ordini sacro tributum adeo firmum, ac constans, vt quamdiu quis clericorum in numero manet, eo perpetuo fruatur. Quumque adeo, neque *depositio*, neque *suspensio* laicorum in sortem clericum detrudat, foro vti priuilegiato non desinit. At, *degradatio* quum accesserit, tum

vero

vero iure laicis communi vtitur. vid. *cap.* 10. *de iudic. cap.* 2. *de poen. in VI.*

§. DXXXV.

Non autem illorum famuli.

Sunt, qui priuilegium hoc ad *famulos* clericorum conductos, atque *ancillas*, imo ad episcoporum seruientes, et familiares extendunt, eo quod ad accessoria eorundem id pertinere videatur. Sed certior ratio est, priuilegia stricti esse iuris, nec vltra legis extensionem proferenda.

Vid. GONZALEZ *ad cap.* 10. *de offic. archid.*, qui cum pluribus aliis recte contrarium docuit. Pro extensione stat MAEVIVS *part. III. decis.* 173.

§. DXXXVI.

Sed eo tantum casu, quo rei sunt.

Ceterum fori isthoc priuilegio non alias fruuntur clerici, quam si *rei* vice funguntur. Nam si ipsi conueniunt laicum, rei forum sequi debent, iudicemque secularem adire, id quod et iure decretalium cautum est. *cap.* 5. *h. t.*

Equidem aliud obtinuisse olim videtur, si genuina est THEODOSII constitutio relata a GRATIANO *caus. XI. q. I. can.* 35. repetita in *capitulari* CAROLI M. quod idem commemorat GRATIANVS *can.* 37. *cit. loc.* Sed *arbitria episcoporum*, ad quae constitutio illa pertinuit, iam dudum a foro ecclesiastico exulant.

§. DXXXVII.

Et non in actionibus realibus.

Porro tametsi iure communi decretalium id non satis certum sit, vsum tamen, et consuetudinem plerarumque gentium si spectes, nihil est ambiguum, quin priuilegium fori restringendum sit ad id genus actionum, quas *personales* dicimus. Quo fit, vt clericus actione reali de patrimonialibus bonis conuentus, in foro seculari rei sitae recte conueniatur. Idem esse dicendum de *actionibus in rem scriptis* existimo propterea, quod et has constet dari aduersus possessorem qua talem, nulla status habita ratione, cuius ne mentio quidem necessario facienda est.

Sunt, qui etiam iure decretalium in caussis realibus clericos foro seculari subiectos existimant moti argumento ducto ex *cap. fin. h. t. et cap.* I. *de priuil. in VI.* Sed id puto difficulter probatum iri. Mihi magis placet sanctioni *l. fin. cod. vbi in rem.* standum esse, quamdiu imperatoris constitutionem posteriore abrogatam esse perspicue probari nequit, qualem non esse constitutionem FRIDERICI II. IMP. cuius summa refertur in AVTH. STATVIMVS *cod. de episc. et cler.* multi censent. Quidquid sit, vsu fori nostri hoc in caussarum genere priuilegio non gaudent, vide etiam GAILIVM *obseru. lib. I. c.* 37.

§. DXXXVIII.

Sed personalibus tantum.

Denique si ex contractu agitur, sunt, qui forum contractus iudicis secularis locum habe-

re

re contendunt. Sed, quia ex contractu in personam agitur, et personalibus actionibus conuentus clericus priuilegio gaudet, arbitror in causis ex contractu, aut quasi contractu ortis forum quidem contractus esse competens, sed ecclesiasticum. vid. *cap.* 17. *et fin. h. t.*

§. DXXXIX.

Connexio.

Cognita iurisdictionis et fori ecclesiastici natura ad iudicia transeamus. Sed hoc ipso in loco necesse est, vt *de arbitriis episcoporum* prius exponamus, quae eorum fuerit origo, quis modus et ratio.

§. DXL.

Olim ad lites decidendas fideles arbitros.

Scilicet praecipua christianae religionis lex est *lex charitatis*, quacum frequentes contentiones adeo non congruunt, vt nullum dissoluendi mutui amoris medium sit efficacius: qua de causa S. PAVLVS in sua *ad corinthios* epistola vehementer eis malesanam litigandi libidinem exprobrat. Non quod prohiberet Apostolus, vt vocatus ad iudicem gentilem reus ne sequeretur, quomodo temere hunc locum quidam interpretantur, sed ne actor gentilium auctoritatem sequi malit potius, quam fratrum arbitrium. *I. ad* CORINTH. *VI.* 1. *seqq.*

§. DXLI.

Eosque episcopos eligebant.

Quamuis autem APOSTOLVS vel contemtibiles e laicis tanquam arbitros electos causis diiudicandis sufficere doceret, sanctitas tamen, morum integritas, animus a diuitiis maxime alienus, quibus tum episcopi virtutibus auctoritatem sibi conciliabant, facile mouebant fideles, vt non eligerent arbitrum, nisi episcopum.

§. DXLII.

Forma horum arbitriorum describitur.

Et sane nihil erat his episcoporum arbitriis humanius, nihil ad christianam pietatem adcommodatius. Sedebat *episcopus* in *medio presbyterorum*, quasi quidam magistratus medius inter consiliarios suos: adstabant *diaconi*, tanquam ministri iustitiae. *Partes* ipsae praesentes causam suam orabant discutiendam ab episcopo sine ambagibus sine captiosa, quae deinde inualuit, solennitatum infinitarum obseruatione. Neque vero decisione causae contentus episcopus, in id etiam adlaborabat, vt *de iustitia causae* conuinceret partes, easque sibi mutuo conciliaret.

§. DXLIII.

Quae postea legibus fuere confirmata.

Quo minus mirum est, morem hunc vtique laudandum ab imperatoribus christianis postea

ftea latis eam in rem legibus fuiffe confirmatum: HONORIVS IMP. a. 398. edixit: *fi qui ex confenfu apud S. legis antiftitem litigare voluerint, non vetabuntur: fed experientur illius in ciuili duntaxat negotio more arbitri fponte refidentis iudicium l. 7. cod. de epifc. aud.* At exequendi poteftatem non habebant, quod patet ex *l. 8. cod. eod.*

§. DXLIV.

Atque magis determinata.

Ex quibus imperatoris conftitutionibus perfpicue liquet, iudicandi poteftatem habuiffe epifcopos, tum demum, fi pars vtraque de caufa ipforum arbitrio committenda confenfiffet idque in caufis duntaxat pecuniariis.

Quare non immerito GOTHOFREDVS legem *codici theodof.* fubiectam, quam quidam CONSTANTINI effe putant, eam cuius meminit EVSEBIVS *de vit. conftant. lib. IV. cap. 27.* vt fpuriam reiicit, etfi SELDENO vifa fit genuina *in tract. de vxore Hebr. lib. III. c. 28.*

§. DXLV.

Poftea vero introductus eft.

Verum ab hac iudicandi fimplicitate in foro ecclefiaftico receſſerunt iudices ecclefiaftici, ordinemque iudiciorum folennem inuexerunt ius partim ciuile, partim gloffatorum interpretationem fecuti, eumque ordinem iudicium adpellant.

§. DXLVI.

PROCESSVS *ſolennis*, et IVDICIVM *ſolenne.*

Ordo hic iudiciarius dicitur PROCESSVS, aut etiam, vt dixi, IVDICIVM, eſtque nihil aliud, quam *idonea coordinatio actuum iudicialium ſe inuicem praeſcripto modo conſequentium, vt in lite coram iudice mota eruatur veritas, et ius ſuum cuique tribuatur.*

§. DXLVII.

Cuius finis eſt inueſtigatio veritatis.

Finis igitur iudicii eſt inueſtigatio veritatis, et iuſtitiae adminiſtratio. Ex quo conſequens eſt, vt iudicia ſint ſine acceptione perſonarum peragenda adeo, vt fauor alterutri parti praeſtitus negotium faciat nullum: vt iudex ſingula iudicii acta in ſcripturam fide bona redigi curet, quo fidei faciendae apta ſint. *cap.* 1. *h. t. cap.* 5. *de except.*

§. DXLVIII.

Modus praeſcriptus exacte ſeruandus eſt.

Quia porro praeſcriptum modum ſeruare iudex debet, palam eſt, quod, ſi iuris ordinem peruerterit, nihil agat, quod curare debeat, vt ne partes a iuris ordine recedant, quod non ſuo arbitrio, ſed legum, et canonum auctoritate duci debeat, itaque in cauſis iudicandis verſari, ne auctorem iuris, ſed mini-

ſtrum

ſtrum ſe ſe exhibeat. vid. *cap.* 22. *de adcuſat. cap.* 19. *h. t.*

§. DXLIX.

Proceſſus eſt vel iuris communis vel particularis.

Proceſſus aut *iuris communis* eſt, aut *particularis* : *ille* eſt, quem canones inuexerunt ex legibus ciuilibus, et placitis gloſſatorum. *Hic*, quem quaeque regio ſibi proprium conſtituit.

§. DL.

Dein vel ordinarius vel ſummarius.

Vtrumque partiuntur in *ordinarium*, qui ordinem legibus canonibusque praeſcriptum non tantum *quoad ſubſtantialia*, ſed et *quoad ſolennia* ſeruat: et *ſummarium*, in quo neglectis ſolennibus ſimpliciter, et *de plano*, *ac ſine ſtrepitu iudicii et figura*, ſeruatis tamen ſubſtantialibus, proceditur. *clem.* 2. *de verb. ſignif.* ibi: *non ſic tamen iudex litem abbreuiet, quin probationes neceſſariae, et defenſiones legitimae admittantur.* add. *clem.* 2. *h. t.*

§. DLI.

CAVSAE SVMMARIAE 1.) *per ſe tales a.) ex iure ciuili.*

Sunt autem *ſummariae cauſae* duplicis generis, aliae, quae *per ſe* ſunt *tales*, aliae *ex*

 acci-

accidenti ad hoc genus referendae. *Per se summariae* perhibentur *ex iuris ciuilis* determinatione 1.) causae, quae moram non ferunt, 2.) publicae, 3.) sacrae, 4.) alimentorum, honorariorum, officiorum publicorum, 5.) causa restitutionis minorum, 6.) cautiones, 7.) quae ad praeparandum iudicium pertinent.

§. DLII.

b.) Ecclesiastico.

Iure ecclesiastico hunc in numerum referuntur, 1.) causae ecclesiasticae, 2.) matrimoniales, 3.) vsurarum: quibus ius hodiernum addit causas executiuas, cambiales, mercaturam, et rem nauticam concernentes, metallicas, causas rei agrariae, concursum creditorum, atque alia huiusmodi plura. *clem.* 2. *h. t.*

§. DLIII.

2.) *Ex accidenti tales.*

Ex accidenti ad causas summarias referuntur ex compromisso partium: ex delegatione facta sub clausula: *vt de plano, et simpliciter procedatur*, aut, *vt sine strepitu iudicii*, aut *sola veritate inspecta procedatur*. vid. *cap.* 13. *h. t. clem.* 2. *eod.*

§. DLIV.

§. DLIV.

Quid de forma processus in notoriis.

Recte pontifex monet iudicem, ne ita processum summarium abbreuiet, quin probationes necessariae admittantur. Adtamen decretalium interpretes inuexerunt procedendi rationem, in quo nullam requiri citationem, nullam litis contestationem, causae cognitionem, probationem, nullam sententiam necessariam esse contendunt, quem NOTORIIS causis adsignant. vid. STRYCK. *in diss. de notorio cap. II. §. 3. et cap. III.*

§. DLV.

Obseruandum sit.

Et fatendum est; esse quaedam decretalium loca, quae tumultuario huic procedendi ordini fauere videntur. In notoriis quippe pontifices nec adcusationem, nec testes, nec causae cognitionem exigunt. vid. *cap. 24. de adpellat. cap. 2. de cohab. cler. cap. 15. de purgat. can.*

§. DLVI.

Explicatur.

Verum praeterquam quod difficile est, quid sit notorium, definire, praesertim, quum id ab aduersario negari contingit, ipsos etiam pontifices non ita capiendos iudico, vt omnia processus etiam substantialia abesse velint, sed vt abesse velint eo modo, quo ea in processu

ſolenni deſiderantur. Firmat coniecturam pontifex *in cap.* 21. *de iureiur.* quum ait: *quod in* MANIFESTIS *et* NOTORIIS *ratione iuramenti praemiſſi non credimus te teneri ſeruare* SVBTILITATEM *ordinis iudiciarii, quam in his non ſeruari per omnia ipſa iuris ratio poſtulat, et requirit, vnde videbitur ſubtiliter intuenti de ordine iudiciorum procedere, vt in praemiſſis non* PER OMNIA ORDO IVDICIARIVS *obſeruetur.*

§. DLVII.

Porro proceſſus eſt vel criminalis vel ciuilis.

Sed redeamus ad partitiones proceſſus. Alius enim eſt, quo ſeruatur ordo in inquirendis delictis, alius, quo proceditur in cauſis ciuilibus. Hinc eſt *criminalis*, aut *ciuilis*. *Hic* eſt, in quo de negotiis, et rebus tam ſecularibus, quam eccleſiaſticis ſeu agendo, ſeu implorando contenditur. *Ille* autem, quo per viam adcuſationis, aut inquiſitionis de crimine agitur ad poenam publicam.

§. DLVIII.

Tandem vel primae vel ſecundae inſtantiae.

Poſtremo iudicium partiuntur *in iudicium primae*, et *ſecundae inſtantiae*. *Illud* peragitur coram iudice inferiore: *hoc* autem facta adpellatione ad ſuperiorem pertinet. vid. *cap.* 3. *de adpellat. in VI.*

Vid. HEINECCII PANDECT. *lib. II. tit. I. lib. V. tit. I.*

TI-

TITVLVS III.
DE
OBLATIONE LIBELLI.

TITVLVS XI.
DE
PLVS PETITIONIBVS.

TITVLVS XIV.
DE
DOLO ET CONTVMACIA.

TITVLVS XV.
DE EO
QVI MITTITVR IN POSSESSIONEM CAVSA REI SERVANDAE.

TITVLVS V.
DE
LITIS CONTESTATIONE.

TITVLVS VI.
VT LITE NON CONTESTATA, NON PROCEDATVR AD TESTIVM RECEPTIONEM VEL AD SENTENTIAM DEFINITIVAM.

§. DLIX.

§. DLIX.

Initium iudicii continet.

Poſtquam de *iudice competente* conſtat, tum res in *iudicium* deduci poteſt, cuius INITIVM ſequentia complectitur, ſcilicet I.) *libelli oblationem* II.) *citationem partis aduerſae* III.) *doctrinam de contumacia actoris aut rei.* IV.) *litis conteſtationem.*

§. DLX.

I.) LIBELLVM.

Eſt autem LIBELLVS *imploratio iudicis ad efficiendum, vt ea, quae ex praeſcripto legum a laedente nobis praeſtanda ſunt, obtinere poſſimus.* Ex quo patet in libello actionem coram iudice proponendam eſſe, et contra eum, qui laeſit, intentandam.

§. DLXI.

Solennem ſeu ſcriptum.

Equidem olim *epiſcoporum audientia* ad arbitrii modum adornata libellum, certe *ſcriptum*, haud requirebat: id quod ex IVSTINIANI conſtitutionibus retulit GRATIANVS *cauſ. XI. q. I. can. 45,* ibi: *vbi autem epiſcopus cauſam dirimere vult, ſine ſcriptura omnia procedant.* At poſteaquam ſeculo XII. ſtrepitus forenſis iudicia occupauit eccleſiaſtica, etiam ſolennis haec ſcriptura, quam libellum dicimus, in

in iudiciis ordinariis receptus eſt, ſeruata forma veteri, in cauſis eccleſiaſticis, et ſummariis. vid. *cap.* 1. *h. t. et clement.* 2. *de V. S.*

In iudiciis ordinariis vſitatum olim fuit factum per articulos proponere. At, quum hi articuli infinitarum prope litium cauſa eſſent, generali conſtitutione earum vſus abrogatus eſt. vid. *cap.* 6. *de fid. inſtrum.* RECESS. IMP. *de anno* 1654. *§.* 34. *et* 65.

§. DLXII.

Libellus ſyllogiſmo conficitur.

Eſt autem ex ipſa *libelli* notione ſatis perſpicuum, tria eſſe eius *eſſentialia*: *medium concludendi*, id eſt, *cauſam petendi*: *narrationem laeſionis*, ſeu *ſpeciem facti*: *petitionem* ſeu *concluſionem*. Recte igitur vulgo traditum eſt, libellum *ſyllogiſmo* confici, cuius *maior* propoſitio *ius*: *minor ſpeciem facti*, et *concluſio petitionem* exprimat.

§. DLXIII.

Quid in maiore eius.

Quoniam igitur MAIOR, vt modo dictum, rationem exprimere debet, ex qua conſtare poſſit, actorem eſſe laeſum, euidens eſt, in libello fundamentum eſſe referendum, quo iudex edoceatur, ius actoris a reo fuiſſe violatum: id quod ſane fieri aliter non poteſt, quam ſi *in iudiciis perſonalibus cauſa debendi ſpecialis* ſubiiciatur, tametſi *in realibus* ſufficiat illam

lam iuris in re ſpeciem exprimi, vnde agitur, quae huius actionis *cauſam proximam* continet. vid. *cap.* 3. *h. t.*

§. DLXIV.

Quid in minore?

In MINORE enarrari debet factum. Ex quo conficitur, vt illas clare, ac breuiter circumſtantias referat actor, ex quibus dilucide adpareat, reum eſſe auctorem laeſionis. Sed et circumſtantiarum ideo ratio exacte habenda eſt, vt de gradu moralitatis, quo factum eſt perpetratum, iudici perſpicue conſtet.

§. DLXV.

Quid in concluſione eſſe debeat, explicatur.

His proxime accedit actioni motae conſentanea petitio. Namque hoc ſi non ſeruatum adpareat, reus ab inſtantia, vt aiunt, abſoluitur, ita tamen, vt integrum ſit actori congruentem, atque aptam naturae negotii actionem intentare. vid. *cap.* 15. *de iudic.*

§. DLXVI.

Libellum emendare, aſt non mutare licet.

Libelli oblati *mutatio* ad eſſentialia eius pertinet, aut ad accidentalia, quae ſpeciatim *emendatio* dicitur. Quod ſi mutatio fiat in eſſentiali quodam, ex ipſa eius notione intelligi poteſt,

poteſt, eam, manente eodem reo, non poſſe eſſe in alio ſitam, quam vt noua actio in locum prioris ſubſtituatur. Quo fit, vt mutare quidem actor nequeat, niſi refuſis impenſis litem omnino inchoare velit. vid. *cap.* 3. *de dilat.*

§. DLXVII.

Emendatione opus eſt, ſi plus petatur.

Emendatione opus haberet libellus *vitio plus petitionis* laborans, quando plus petitur *re*, *loco*, *tempore* vel *cauſa*, licet poenae legibus ſtatutae. §. 33. *inſtit. de act.* hodie fere exoleuerint; ex officio tamen deberet iudex importunitatem plus petentium non impunitam dimittere, niſi quis commiſſum forte absque malitia errorem mature emendaret. vid. *cap. vn. h. t.*

§. DLXVIII.

II.) Citationem.

Libello ſupplicatio pro decernenda citatione aut inſeritur, aut adiungitur. Eſt autem citatio nihil aliud, quam *actus iudicialis, quo ad ſupplicationem actoris reus a iudice competente ex cauſa determinata litis peragendae cauſae, ad certum diem in iudicium vocatur.*

§. DLXIX.

§. DLXIX.

Quae et absolute necessaria.

Quandoquidem nondum auditum condemnare fas non est, perspicuum est, citationem in omni processus specie *necessariam* esse adeo, vt quidquid in iudicio, reo nunquam citato, aduersus eum decernitur, nullius roboris habeatur.

§. DLXX.

Estque vel generalis vel specialis.

Citationem autem faciunt duplicem, *generalem*, per quam in ius vocatur, quicumque sua interesse putauerit, quod nonnunquam fit vel *a iudice*, qui generaliter citat creditores eius, cuius bona subhastantur, vel *a lege* quae certum terminum se iudicio sistendi statuit. *cap.* 1. *de elect. in VI.*, et *specialem*, per quam certa persona vocatur. *Illa* quidem semper peremptoria est, non *posterior. cap.* 6. 10. *de dol. et contum.*

§. DLXXI.

Priuata vel publica.

Est porro alia *priuata*, quae priuatim, aut in *scriptis*, vt in processu ordinario, aut *viua voce*, vt in summario, reo insinuatur. Alia *publica*, quae fit per *edicta*, aut ex *cathedra* in

in templis, tum vſurpari demum ſolita, dum priuatae aut ob latitantis rei contumaciam, abſentiamue, aut ob id, quod, qui ſint, aut vbi, citandi, ignoratur, locus eſſe non poteſt. vid. *cap.* 11. *de cleric. non reſid. cap. fin. de dolo et contum. clem. vnic. in fin. de for. comp.*

§. DLXXII.

Finis citationis.

FINIS, ob quem decernitur citatio, eſt, vt reus de cauſa plene inſtructus deliberare poſſit, cedere velit, an contendere? conſequens igitur eſt, vt ita comparata ſit, ne quid eorum deſiderari in illa poſſit, quae inſtruendo de cauſa motae litis reo conſentanea ſunt. Hac cauſa factum puto, vt moribus hodiernis libellus reo communicetur. vid. *cauſ. V. q. II. can.* 3. *clem.* 2. *vt lit. pend. nihil innou.*

§. DLXXIII.

Ea debet fieri a iudice competente.

Ex eadem porro cauſa neceſſe eſt, vt facienda ſit a *iudice competente.* Vulgatum enim eſt, *extra limites iurisdictionis ſuae ius dicenti impune non pareri.* Quapropter decretae a iudice delegato citationi reſcriptum delegationis inſerendum eſt, quo de competente eius auctoritate conſtet. vid. *cap.* 29. *de offic. et pot. iud. deleg. cap.* 2. *de dilat.*

§. DLXXIV.

Ad certum tempus et locum.

Eſt praeterea *certus* in ea *terminus* comparendi exprimendus, anguſtior, aut laxior pro ratione ſitus loci, e quo euocandus eſt reus, vt ne deliberandi facultate excludatur. *Locum* quoque oportet eſſe *tutum*, in quem citatur; iuſtam alioquin cauſam ſe ſe excuſandi reus habet, quo minus praefixo ſibi tempore ſe ſe ſtiterit. *clem.* 1. *de iudic. cap. fin. de dilat. cap.* 4. *vt lit. non conteſtat.*

§. DLXXV.

Eſt legitime inſinuanda reo.

Danda denique opera eſt, vt citatio *legitime* reo *inſinuetur*, idque aut *in faciem*, vt aiunt, praeſenti, aut, ſi abeſt, *ad domum*, adhibita publica perſona, cui fidem adhiberi oporteat. Ceterum ſi culpa rei factum eſt, quo minus factae rite citationis notitia ad eum perueniret, habet, quod ſibi imputet. *clem. vnic. de foro comp. cap.* 4. *de eo, qui mittit. in poſſeſſ.*

§. DLXXVI.

Effectus citationis traduntur.

Effectvs *citationis* ſunt, 1.) *neceſſitas comparendi* in termino. 2.) inducit *litis pendentiam*: 3.) locum facit *praeuentioni*: 4.) reddit

con-

contumaciae reum, si aut *generatim* ad vniuersam causam vocatus, aut post trinam *specialem* in iudicio non comparuerit citatus. vid. *cap.* 20. *de off. et pot. iud. deleg. cap. pen. de for. comp. cap.* 11. *de cleric. non resid. cap.* 15. *de adcusat.*

Adeo vero citatus comparere necesse habet, vt ne is quidem liber sit, qui se aduersus huius iudicis iurisdictionem priuilegio, alioue iure munitum putat. Nam haec ipsa iudicis est aestimatio, vtrum iurisdictioni suae subsit, an non. vid. *cap.* 7. *de adpellat.*

§. DLXXVII.

III.) CONTVMACIAM.

CONTVMACIA est *neglectus eorum, quae quis in iudicio statuto tempore expedire obligatur.* Duobus igitur modis contumacia committitur, vel non comparendo in termino, vel non expediendo ea, quae in iudicio facere oportuit. vid. *cap.* 2. 3. 6. *h. t. cap.* 34. *de elect. cap.* 2. *et* 5. *vt lit. non contest. non proced. cap.* 7. *de adpellat.*

§. DLXXVIII.

Quae est vel dolosa, vel culposa: vera, aut praesumta.

Diuidi solet contumacia, prout culpa, aut dolo committitur, in *culposam*, et *dolosam*; *haec* iterum aut *vera* est, quam constat esse dolo commissam, aut *praesumta*, quam dolo in-

teruenisse praesumitur, donec contraria probatione se quis suspicione liberauit. vid. *cap.* 7. *§.* 1. *de sent. excomm.*

§. DLXXIX.

Poena contumaciae est 1.) *vel publica.*

Est autem POENA in contumaciam constituta *publica* alia, alia *priuata. Publicam* eam voco, cuius irrogandae ius competit iudici ad vindicandam ius dicentis auctoritatem, quae olim in foro ecclesiastico frequenter esse solebat excommunicatio. In causa ciuili non nisi ex speciali ratione decerni potest, iisque in actibus, in quibus iudex ex officio, vt aiunt, procedere solet. vid. *cap.* 1. 3. *vt lit. non contest. cap.* 19. *de adpellat.*

§. DLXXX.

Vel 2.) *priuata.*

Priuata vero est, quam persequi in iudicio potest alter litigantium, cuius interest, eamque faciunt duplicem: *generalem*, quae in restitutione expensarum sita est, et *specialem*, quae ratione actus per contumaciam neglecti praeiudicium continet, veluti quod doli reus pro *praecluso*, aut actus pro *perempto* habetur: atque *illa* quidem ob quamlibet contumaciam; *haec* decerni non potest, nisi ob contumaciam aduersus decretum peremtorium commissam. vid. *cap.* 2. *seq. h. t. cap.* 1. *eod. in*

VI.

VI. cap. 24. de offic. et pot. iud. deleg. cap. vlt. de iuram. calum.

§. DLXXXI.

Causae excusantes

Ab hac contumaciae poena liberant impedimenta legitima: quae, quum ita sunt comparata, vt ab adcusato de contumacia omnem etiam culpam remoueant, omni omnino poena immunem reddunt. Ast, si qua tamen eius culpa, etsi absit dolus, argui possit, sola expensarum restitutione defungi potest. *cap.* 1. *vt lit. non contest. cap.* 6. *h. t. cap.* 18. *de sent. et re iud.*

§. DLXXXII.

Vt poenae priuatae locus sit, causae cognitione opus est.

Quandoquidem autem priuata poena ad ius partis pertineat, ea, nisi contumacia ab aduersario in iudicium deducta, probataque, decerni non solet; hinc causae cognitio intercedat, necesse est, in qua iudicem et impedimentorum legitimorum, et humanitatis magis, quam summi rigoris habere rationem aequum est. vid. *cap.* 1. 6. *h. t. cap.* 24. *de offic. et pot. iud. deleg.*

§. DLXXXIII.

Contra contumaces miſſio in poſſeſſionem decernitur.

Aduerſus contumaces, qui fraudandi animo latitant, aut poſt citationem legitime inſinuatam peregre proficiſcuntur, nemine domi exiſtente, qui eos in iudicio defenderet, MISSIO IN BONA *rei ſeruanda cauſa* decernitur; modo cauſa ex eo ſit genere, in quo petitae huius poſſeſſioni locus eſſe poteſt. vid. *cap.* 3. *vt lit. non conteſt. nihil innou. cap. fin. h. t.*

§. DLXXXIV.

In realibus.

Et *in actione* quidem REALI actor, abſente ter legitime citato, petitam rei poſſeſſionem obtinere poteſt, vt taedio adfectus reus veniat reſponſurus. Ex quo adparet, reum poſſeſſione haud priuari; quid? quod intra annum veniente reo refuſisque expenſis, ac cautione praeſtita poſſeſſione etiam cedere miſſus cogatur. *cap.* 5. *vers. in aliis: vt lit. non conteſt. nihil innou.* quod ſi vero in contumacia perſtiterit, actor *ſecundo*, quod vocant, *decreto* poſſeſſor conſtituitur, ſeruata reo proprietatis quaeſtione; id quod etiam locum habet, ſi poſt litem conteſtatam contumax, tribus euocatus edictis, ſui copiam non faciat. *cap.* 4. *de dol. et contum.*

§. DLXXXV.

§. DLXXXV.

Et in perſonalibus iudiciis.

In actione quoque PERSONALI ex cauſa debiti actor hoc iuris ſui perſequendi medio vti poteſt; namque etiam in his poſt trinam citationem mittitur in mobilium, aut ſi haec nulla ſint, immobilium poſſeſſionem pro modo debiti: quamquam et hoc caſu praeſtita intra annum cautione, refuſisque expenſis actor de poſſeſſione decedere iubeatur.

§. DLXXXVI.

Hic rigor iure noſtro moderatus eſt.

Quod ſi elapſo interim anno reus contumax eſſe pergat, pro confeſſo habetur, ſi effectum ſpectes; namque bona diſtrahuntur, creditoribusque ſatisfit. Mores autem Germanorum hunc rigorem ignorant. *l. 7. quib. ex cauſ. in poſſ. eat.* REC. IMP. *de a.* 1654. §. 36.

Animaduertendum hic eſt, in cauſis beneficialibus huic miſſioni locum prorſus non eſſe, ſed receptis probationibus liti finis omnino ſententia lata imponitur. vid. *cap. vnic. h. t. in VI.*

§. DLXXXVII.

IV.) LITIS CONTESTATIONEM.

LITIS CONTESTATIO eſt *reſponſio rei ad factum in libello propoſitum animo iudicium cum actore ſuſcipiendi.* Actione edita, et lite con-

testata constituitur iudicium, simulque determinatur, quid controuersiae actorem inter, et reum intercedat. Quapropter non inepte *fundamentum iudicii* esse dicitur. vid. *cap. vn. h. t. et cap.* 54. §. 3. *de elect.*

§. DLXXXVIII.

Idem.

Vt igitur lis contestata esse videatur, sufficit, responsionem, fieri ad factum ab actore propositum, et quidem animo iudicium cum eo suscipiendi, qui ex data ad petitionem responsione praesumitur, donec eam alia fuisse mente factam constiterit. vid. *cap.* 2. *h. t. in VI. cap.* 63. *de reg. iur. in VI.*

§. DLXXXIX.

Quae est vel solennis vel minus solennis.

Solennia contestationis litis varia esse nihil repugnat: quo ex genere illud quoque est, quod in scriptis fieri debeat, vel per responsionem ad libellum. Quam ob causam vel *solennis* est, quae fit secundum formam a iure praescriptam, vel *minus solennis*, in qua ille solennium adparatus non desideratur. vid. *cap.* 2. *de offic. iud.*

§. DXC.

§. DXC.

Adfirmatiua vel negatiua generalis vel specialis.

Est porro alia *adfirmatiua*, qua reus factum in actione propositum verum esse haud diffitetur. Alia *negatiua*, dum id omnino, aut pro parte verum esse negatur. Et siquidem reus ad totum factum simul respondet, *generalis* est; contra ea *specialis*, qua ad singula eius capita singillatim respondetur. vid. *cap. 62. de adpellat.*

Iure canonico litis contestatio generalis sufficiebat. At eam reiecerunt *maiores* nostri, praeceperuntque reis: daß sie kurz, *neruose*, und deutlich, auch unterschiedlich, und klar, ob und worinn das *factum* anders, als es von Kläger vorgebracht, und wie es sich eigentlich verhalte, *specifice*, und auf jeden Punkten mit allen seinen Umständen anzeigen sollen. Ita sonant verba RECESS. IMP. *de anno* 1654. §. 37.

§. DXCI.

Estque absolute pariter necessaria.

Quandoquidem per litis contestationem constituitur iudicium, patet, eam tam in iudicio ordinario, quam summario necessariam esse: tametsi in hoc sufficiat etiam minus solenniter contestari. Imo cautum est *iure germanico*, vt reus in primo termino saltem *euentualiter* litem contestari debeat. vid. *cap. vn. h. t. cap. 2. 4. 5. vt lite non contest. non proced. ad test.*

§. DXCII.

Contumacia rei.

Quod ſi reus in lite primo in termino conteſtanda contumacem ſe exhibeat, non modo condemnari in expenſas, verum etiam, ſi peremptorie citatus contumaciter pergat non comparere, lis pro *negatiue conteſtata* haberi, et actor ad probandum intentionem ſuam admitti poteſt. vid. *cap.* 34. *de teſtib.* REC. IMP. *de anno* 1654. *§.* 36.

§. DXCIII.

Et actoris hic COERCETVR.

Sed et actor, ſi in terminum, quo lis fuiſſet conteſtanda, ſe ſe non ſtiterit, reo expenſas cogitur refundere: neque nouum cum eo ſuſcipere iudicium reus tenebitur ante, quam de lite proſequenda cautionem praeſtiterit. vid. *cap.* I. *de dolo, et contum. in VI.*

§. DXCIV.

Poſitiones et reſponſiones.

Porro, quia hodie ad ſingula libelli capita reſponſio in lite conteſtanda deſideratur, (§. 589.) perſpicuum eſt, eam per ſolam *exceptionem peremptoriam* oppoſitam non induci, multo etiam minus per *poſitiones*, et factam ad eas reſponſionem, quippe quae facta litis iam conteſtatione eius declarandae cauſa fiunt. vid.

cap.

cap. 2. h. t. in VI. cap. 54. de elect. cap. 6. de iureiur. calum.

§. DXCV.

Iuramentum dandorum et respondendorum hic exsplicatur.

Nam quum, vt iam monui, (§. 590. sch.) *iure canonico* litis contestatio generalis sufficeret, eius explicandae causa actor *positiones* ex libello deductas offerebat, easque veras esse, oblato iuramento adseuerabat. His reo in scriptis, iureiurando etiam firmandis, respondere necesse fuit, quo magis plana ad probationem facti via sterneretur. *Illud iuramentum* DANDORVM, *hoc* RESPONDENDORVM vocare solent. *clem. 2. de verb. signif.* vtrumque hoc iuramentum est *malitiae*; quapropter nihil impedit, quo minus etiam per procuratorem praestari possit. Quod si reus propositis ab actore positionibus respondere nolit, pro confesso habetur. vid. *cap. 3. de iuram. calum. in VI. cap. 2. de confess. in VI.*

Et quamquam sublata litis contestatione generali non adeo necessarius sit positionum vsus; quia tamen nonnihil ad faciliorem causarum expeditionem, coarctandamque temerariam reorum negationem conferunt, earum vsus plerisque in foris in hanc diem conseruatus est.

§. DXCVI.

Effectus litis contestatae.

Postremo animaduertendum est, iudicio per litis contestationem semel suscepto, quoniam consentiunt litigantes de causa a iudice decidenda, per eam inter eos *quasi contrahi*, et *nouationem* quamdam accessoriam fieri, cuius haec vis est, vt actio in litem deducta fiat *perpetua*, et *in heredes* transmittatur.

§. DXCVII.

Ante litem contestatam regulariter non admittitur probatio.

Probatio causae principalis *ordinarie* ante litem contestatam non admittitur. Quum igitur *ordinarium examen testium adpelletur*, quod post contestatam demum litem instituitur, consequens est, vt ante litem contestatam in causa ciuili principali ad testium receptionem ordinarie non procedendum sit. vid. *cap.* 1. *et* 2. *h. t.*

§. DXCVIII.

Eius regulae exceptiones traduntur.

Est autem hinc satis perspicuum, regulam hoc loco propositam non pertinere 1.) ad probationem per testes in *causa incidente*, veluti exceptione spolii, legitimatione ad causam, aut relaxatione iuramenti ad effectum agendi. vid.

vid. *cap.* 20. *de iureiur. cap.* 4. *de procurat.* Neque etiam 2.) *ad causas*, in quibus iudici *ex officio*, vt aiunt, procedendum est; quo in genere censentur, quum de electione, aut matrimonio ob interueniens consanguinitatis impedimentum agitur, ne ex mora damnum ecclesiae inferatur, aut ex coniugio continuato plus emergat turpitudinis. vid. *cap.* 5. *h. t. cap.* 20. *cit. de iureiur.* Est et alia huius regulae iusta exceptio 3.) *ob periculum amittendae probationis*: cuius causa admittitur examen testium *extraordinarium*, quod ante litem motam, aut contestatam in causa ciuili principali instituitur ob periculum amittendorum testium. vid. *cap.* 5. *h. t. cap.* 4. *de confirm. vtili.*

§. DXCIX.

Obseruato inter actorem et reum discrimine.

Est tamen aliquid *actorem* inter et *reum* discriminis. Namque *hic* quidem, quoniam in eius potestate non est, se defendere, antequam ab actore conueniatur, audiri debet, tametsi proximum aliquod amittendae probationis periculum ei non sit metuendum. vid. *cap.* 41. *de testib.* Enimuero, vt idem actori indulgeat iudex, requiritur imprimis, vt agendi facultate nunc quidem destituatur, aut saltem lis mota eiuscemodi exceptionibus obnoxia sit, quae litis contestationi moram faciant. Deinde, vt doceat sibi amittendae probationis periculum imminere, aut ob senium, valetudinem, diuturnam testium absentiam, aut ob in-

stru-

ſtrumentorum corruptionem nullo modo reparandam. vid. *cap.* 5. *h. t. cap.* 4. *de confirm. vtil.*

§. DC.

Examen teſtium ad futuram rei memoriam.

Receptum eſt his caſibus examen teſtium *ad futuram rei memoriam*, ſeruato tamen iuris ordine, niſi iuſta quaedam cauſa, veluti periculum in mora, hunc ſeruari non patiatur. Quod ſi id ſit ſine ſolenni iuris forma peractum, actori incumbit intra annum aut id denunciare reo, aut actione experiri, vt ne auferatur reo facultas defenſionis, alioquin vim omnem amittit. At quod ad reum adtinet, vim perpetuam habet, etſi non ſit facta actori eius denuntiatio. vid. *cap.* 41. *de teſtib. cap.* 4. *de confirm. vtil. cap.* 5. *h. t.*

Vid. HEINECCII PANDECT. *lib. II. tit. IV. et ſeqq. tit. XIII. lib. V. tit. I. §.* 41. *lib. XLII. tit. IV.*

TITVLVS IV.

DE MVTVIS PETITIONIBVS.

TITVLVS VIII.

DE DILATIONIBVS.

TI-

TITVLVS IX.

DE

FERIIS.

TITVLVS X.

DE

ORDINE COGNITIONVM.

TITVLVS XII.

DE

CAVSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS.

TITVLVS XIII.

DE

RESTITVTIONE SPOLIATORVM.

TITVLVS XVI.

VT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETVR.

TITVLVS XVII.

DE

SEQVESTRATIONE POSSESSIONVM ET FRVCTVVM.

TITVLVS XXV.

DE

EXCEPTIONIBVS.

TI-

TITVLVS XXVI.

DE PRAESCRIPTIONIBVS.

§. DCI.

In PROGRESSV *litis notanda sunt.*

In PROGRESSV *litis* ad sequentia adtendi volo I.) DILATIONES *et* FERIAS II.) PETITIONES MVTVAS *actoris et rei.* III.) MODVM *et* ORDINEM *plures causas in iudicio pertractandi.* IV.) EXCEPTIONES *et* REPLICATIONES V.) LITIS PENDENTIAM.

§. DCII.

I.) DILATIONES.

DILATIONES nihil sunt aliud, quam *induciae ad certum actum in iudicio peragendum litigantibus datae.* vid. *cap.* 1. *seq. h. t.* summa earum partitio est, quod sint *iudiciales*, aut *extraiudiciales*, *illasque* dicunt, quae ob actum iudicialem expediendum dantur. Nobis hoc loco de *priore* duntaxat genere agendum est.

§. DCIII.

Iudiciales.

Sunt autem et *iudiciales* duorum generum: *legales*, quae certo iure constitutae sunt, et *ar-*

arbitrariae, quae a iudicis arbitrio pendent. *cap.* 28. *de offi. et poteſt. iud. deleg.* *Illae* vel *abſolute tales* ſunt, quae immediate partibus praefiguntur, vel *ſecundum quid tales*, quae ideo tantum lege definiuntur, vt iudici normam praeſtent in eisdem praeſcribendis: *priores* hae decreto iudicis non indigent: bene vero *poſteriores. cap.* 15. *de ſent. et re. iud. cap.* 4. *de in integ. reſtitut.*

§. DCIV.

Quae prorogari poſſunt.

Nihil autem impedit, quo minus ex iuſta cauſa ad inſtantiam impediti *prorogentur* adeo, vt ne cauſae quidem cognitione opus ſit. At *ſecunda prorogatio*, quae re ipſa tertia eſt dilatio, moribus non indulgetur, niſi praeſtito iuramento calumniae, aut de legitimo impedimento iudici conſtet. vid. *cap.* 1. *vt lit. non conteſt.* REC. IMP. *de anno* 1654. §. 50. *cap.* 5. *de teſtib. clem.* 2. *de verb. ſign.*

§. DCV.

Ad dilationes pertinent FERIAE.

Indolem dilationis imitantur FERIAE, quae ſunt *dies, quibus iudicia vacant:* eaeque vel *diuinae*, ſeu religioni, et cultui diuino dicatae; aut humanae, hominum, negotiorumque cauſa inſtitutae. Vtriusque generis aut *ſolennes* ſunt, ſeu *ordinariae*, quae quotannis re-

currunt, aut *repentinae*, quae caufa quadam vrgente extra ordinem indicuntur. vid *cap.* 5. *in fin. h. t.*

§. DCVI.

Diuinae et humanae.

Diuinae folennes funt *mobiles*, aut *immobiles*. *Hae* fingulis annis ftato die recurrunt: *illae* redeunt quidem, fed dies variat, in quibus, fi calendarium Gregorianum cum nouo non confentiat, in iudiciis, in quibus mixta religio obtinet, ex aequo feriae vtriusque religionis obferuantur. vid. RECES. VISITAT. *de anno*.1587. *die* 27. *May*.

§. DCVII.

A legitimo fuperiore conftitutae.

Feriae diuinae conftituuntur ab Epifcopis in fingulis dioecefibus, non tamen fine confenfu imperantis: humanae vero ab imperantis ciuilis folius arbitrio pendent. vid. *cap.* 12. *et fin: h. t.*

§. DCVIII.

Feriis diuinis ceffant actus iudiciales.

Feriae diuinae cultui diuino dicatae funt. Hinc confequens eft, vt iis omnis ftrepitus forenfis conticefcere debeat, omnesque actus iudicia-

cia-

ciales, quos iudex eiuscemodi diebus expediendos suscepit, ipso iure nulli sint, nisi 1.) fortasse etiam sine causae cognitione peragi possint, aut 2.) pietas, necessitasque aliud suaserit. vid. *cap. fin. h. t.*

§. DCIX.

Idem.

Adeo, vt nequidem renunciare partes feriis sacris possint. Facile hinc reddideris rationem, cur citatio in huiusmodi diem facta effectu destituatur, omneque opus manuale cum omnibus aliis, quae hominem a diuino cultu auocant, quiescere debeant. vid. *cap. fin. cit.*

§. DCX.

Inter humanas aliae communes aliae speciales sunt.

Humanae autem feriae, quoniam hominum causa introductae sunt, quaedam *communes* sunt, quae omnibus prosunt, cuiusmodi sunt *feriae messium*, et *vindemiarum*. Aliae *speciales*, quae certo hominum generi prosunt, veluti *nundinarum*, *vacatio*. His nihil obstat, quo minus pars renunciet: neque ad ea negotia pertinent, quae moram non patiuntur. vid. *cap.* 3. *et fin. h. t. cap.* 12. *de for. compet. cap.* 15. *de sent. et re iud.*

§. DCXI.

Feriarum diuinarum.

Atque hactenus quidem de feriis, quatenus hae causarum in foro agendarum rationem respiciunt. Operae pretium facturum me existimaui, si qua ad cultum Dei pertinent, de iis pauca monuero.

§. DCXII.

Finis traditur.

Etenim feriarum alterum illud genus, quas diuinas diximus, hic praecipue finis est, vt homines relicto omni alio non necessario opere bonorum omnium largitori Deo seruiant, nomenque illius ea, qua par est, pietate concelebrent. vid. *P. I. sect. I. cap. II.*

§. DCXIII.

Recensentur praecipuae.

Sabbathi, ceterorumque veteris testamenti festorum institutio, celebratioque partem cerimoniae sacrae constituebat, cuius vis obligandi post Christi aduentum exspirauit. LEVIT. *XXIII.* 3. Ad ecclesiam igitur Christi veniamus, quae, quibus moribus in celebrandis festis vsa sit, quos dies huic tam necessario, tam sacro operi destinauerit, inquiramus.

§. DCXIV.

§. DCXIV.

1.) *Dies dominica.*

Et vero iam Apoſtolorum aeuo *diei dominicae* celebrationem ſolennem fuiſſe, non ex ſcriptoribus tantum eccleſiae mirifice conſentientibus, ſed ex ipſis Apoſtolorum actis ſatis perſpicue conſtat. vid. ACT. APOST. *cap. XVI. v.* 13. *cap. XX. v.* 7. MATTH. *XXVIII. v.* 1. MARC. *XVI.* 1. *ſeq.* LVC. *XXIV. v.* 1. IOANN. *XXI. v.* 19. 26.

Chriſtianis dies hic, dum de rebus eccleſiae chriſtianae quidpiam litteris conſignarunt, dies Dominicus adpellabatur. Quamquam etiam *diei ſolis* adpellatio haud ſit infrequens, tum praecipue, quum res Chriſtianis ſcriptoribus cum ethnicis eſſet, quo magis ab his dilucide intelligerentur. Atque poſterior haec denominatio in legibus imperatorum fere retenta eſt. vid. *leg.* 1. *et* 2. *de feriis in cod. Theodoſ.*

§. DCXV.

Qua ratione eum celebrarint primi chriſtiani.

Quamquam autem et ceteris diebus rem diuinam facerent, chriſtiani, dominicum tamen religioſiſſime colebant, celebrabantque. *Soliti ſunt ſtato die ante lucem conuenire, carmenque Chriſto . . . dicere ſecum inuicem; ſeque ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum adpellati abnegarent: quibus peractis*

mos eis discedendi fuit, rursusque coeundi ad capiendum cibum promiscuum tamen, et innoxium. Quod est elegantissimum PLINII de re christiana testimonium in *epist.* 97. *lib. X. ad* TRAIANVM *Imp.*

§. DCXVI.

2.) *Festa Domini.*

Sed et alia sunt vetustae originis inter christianos vsitata festa, quae vt redemtionis, aliorumque fidei mysteriorum conseruaretur memoria, instituta sunt. Ex quo genere sunt festa *natiuitatis Domini: circumcisionis: epiphaniae: paschatis: pentecostes: adscensionis:*

§. DCXVII.

3.) *Sanctorum.*

Porro iam primis ecclesiae seculis laudabilis hic mos inualuit, vt memoriam Martyrum ac confessorum festiua quadam celebratione recolerent. Ac in his quidem praecipue D. STEPHANI *proto-martyris:* INNOCENTIVM *ab Herode occisorum:* SS. APOSTOLORVM memoria colebatur: quibus accessit *anniuersarius dies dedicationis ecclesiarum,* aliique non pauci aeuo praecipue CONSTANTINI IMPERATORIS.

§. DCXVIII.

§. DCXVIII.

4.) *B. V. Mariae.*

His longe celebriora ſunt feſta in Divae Virginis *honorem* conſtituta. Inter quae eminent *annunciationis*, et *purificationis* feſta propterea, quod incarnationis diuinae myſterium propius contingant. Namque cetera, veluti: *immaculatae conceptionis: natiuitatis: praeſentationis*, *viſitationis*, et *adſumtionis* recentioris ſunt inſtituti.

§. DCXIX.

Variae querelae contra feſtorum multiplicationem fuerunt motae Secvlo *XIV.*

Feſtiuas has ſolennitates deinceps nimium eſſe multiplicatas, atque inde maxime populorum parti iuſtam victitandi ſpem et occaſionem, quin et, vt fere ſolet fieri, ob nimiam feſtorum frequentiam eorum veneratio contemtui haberi, ſaepius ſynodi et ſcriptores iam a qvatvor Secvlis conqueſti ſunt, numerumque eorum eſſe minuendum decreuerunt.

Atque ita ſane iam ſeculo XIV. ſuae aetatis mores deplorat Simon *cantuarienſis archiepiſcopus* oratione in Synodo Maghfeldensi *habita an.* 1332. his verbis: *Inconſtantia tamen humana, vt plerumque in deteriora labente, quod in electorum Dei receptum erat honorem, conuerſum eſt in blaſphemiam, et abominationem: dum videlicet conuenticula negotiationis, et alia exercitia illicita diebus huiusmodi potiſſime ingeruntur: quod ad deuotionis parabatur compendium,*

in dissolutionis exigitur cumulum: dum in ipsis festiuitatibus taberna potius, quam ecclesia, comessationes, et ebrietates vberius abundant, quam lachrymae, et orationes, lasciuiis insistitur, et contumeliis magis, quam otio contemplationis . . . . nec propter Dei honorem, sicut deceret, sabbathizant, sed etiam iuxta praemissa Dominum ipsum, et sanctam ecclesiam in diebus huiusmodi per abominationes pessimas scandalizant tanquam solennitates ipsae ad profanationis et peruersionis exercitium gratis fuerant institutae. HARDVIN. *tom. VII. col.* 1556.

§. DCXX.

SECVLO *XV. XVI. et XVII.*

SECVLO *XV.* eaedem querelae contra multiplicationem et prophanationem dierum festorum a patribus in concilio CONSTANTIENSI congregatis fuere renovatae. ap. HARDTIVM *de reb. concil. oecum. constant. tom I. col.* 733. et sec. XVI. in concilio TREVIRENSI. 1549. ap. HARZHEIM *concil. german. tom. VI. f.* 621. denuo, nullo tamen adhibito remedio repetitae, quibus tandem VRBANVS VIII. permotus sec. XVII. de numero festorum saltem figendo serium consilium coepit edita ROMAE *constitutione* an. 1642.

Vid. BVLLA, quae incipit VNIVERSA in Bullar. M. T. V. fol. 378.

§. DCXXI.

§. DCXXI.

Quibus ſeculo XVIII. Benedictvs XIV.

Denique Benedictvs XIV. immortalis memoriae Papa malis ex profanatione dierum cultui diuino ſacrorum indies magis inualeſcentibus efficacius medium adlaturus eorum multitudinem in minorem numerum contraxit et intuitu feſtorum ſuperſtitum fideles ſola obligatione audiendi ſacrum obſtrictos eſſe voluit, conceſſa plena libertate et licentia hiſce diebus operibus et laboribus ſeruilibus vacandi.

Vid. mevm Corpvs Ivris Ecclesiastici Avstriaci *et* Bohemici Seyert. legi omnino meretur tractatus ſolide ſcriptus a Reverend. *ac* Celssis. Mart. Gerbert. S. R. I. Pr. Abb. ad St. Blas. cui *titulus:* de *minuendis feſtis, et augendo cultu diuino.*

§. DCXXII.

Et Clemens *XIV. finem imponere conati ſunt.*

Quum vero nec haec paterna indulgentia inueteratis abuſibus radicitus euellendis par eſſet, Clemens XIV. modernus S. Pontifex ſaluti animarum et neceſſitatibus populi miſeri pleniſſime conſulturus, hanc quoque obligationem audiendi miſſam remittere, et hoc modo edita Romae an. 1771. conſtitutione dies feſtos fere omnes exceptis principalioribus tollere et abolere decreuit, quae in vniuerſis prouinciis auſtriacis praeuio placeto regio rite

promulgata, legibusque noſtris explicata et confirmata, pleniſſimam vim et auctoritatem legalem obtinuit.

Plenius haec omnia recenſentur in dem Nachtrag ad MEVM CORPVS IVRIS ECCL. AVST. ET BOHEM. an. 1774. typis Ghelianis editum.

§. DCXXIII.

De CALENDARIO *quod deſcribitur.*

Non putabam ab inſtituto meo fore alienum, hoc loco de calendario feriarum diuinarum indice quaedam monere. Eſt autem hoc nobis loco CALENDARIVM *liber*, *quo anni curſus, eiusque variae viciſſitudines, et partes ſecundum coeli motum adhibitis, regulis mathematicis, deſcribuntur et iudicantur.*

Calendarium romanis librum foenebris pecuniae creditae, ſeu codicem, in quem nomina debitorum referuntur, ſignificabat. VID. BRISSONIVS *de verb. ſignif. voc.* calendar.

§. DCXXIV.

A IVLIO CAESARE *fuit ordinatum.*

Eiuſcemodi codicem confecto bello africano C. IVLIVS CAESAR ex eius nomine dictum *calendarium Iulianum* confici atque ita ordinari curauit, vt annus diebus conſtaret trecentis, ſexaginta et quinque, horis ſex, quae ſingulis quadrienniis ob reſiduas viginti quatuor

tuor horas vnum diem *intercalarem*, seu *bisſextilem* efficerent.

§. DCXXV.

Et ab eccleſia chriſtiana quidem receptum.

Hoc calendarium Iulianum iam inde a prima ſui fundatione amplexa eſt eccleſia catholica, eique feſta ſua immobilia inſeruit, et ab omnibus fidelibus recipi voluit, vt conſtaret, quibus diebus feſta haec toto orbe chriſtiano eſſent celebranda.

§. DCXXVI.

Sed ratione paſchatis celebrandi a patribus CONCILII NICAENI.

Atque vt eodem ex calendario conſtaret, quo die quouis anno paſcha celebrandum eſſet, patres CONCILII NICAENI A. 325. poſt Chriſti natiuitatem curam demandarunt EVSEBIO caeſareenſi et alexandrinis mathematicis, vt cyclum lunarem a IVLIO CAESARE calendario ſuo praefixum ita ordinarent, et ad ſolis ingreſſum in principium arietis, ſeu ad diem aequinoctii verni, qui tunc incidebat in *viceſimam primam* Martii, ita adcommodarent, vt vel nouilunia paſchalia, atque adeo ad diem paſchatis quouis anno celebrandi inueniendum inſeruiret.

§. DCXXVII.

Certus terminus determinatus.

Tria autem ſunt a nicaenis patribus circa paſchatis celebrationem conſtituta. *Primum*, vt paſcha celebraretur hebdomade tertia menſis primi lunaris, qui eſt ille, cuius luna XIV. cadit aut in aequinoctium vernum, aut illud proxime ſequitur. *Deinde*, vt aequinoctium vernum eſſet adfixum diei viceſimae primae Martii. *Denique* vt paſcha celebraretur dominica proxima ſequente XIV. Lunam modo dictam adeo, vt ſi dominica caderet in ipſam lunam XIV. paſcha transferatur in dominicam ſequentem, ne cum iudaeis concurrerent chriſtiani in paſchae celebratione.

§. DCXXVIII.

Duplex veteris calendarii error, PRIMVS.

Sed eſt hic inſignis veteris calendarii error, quod aequinoctium diem vigeſimam primam Martii a CONCILIO NICAENO adfixum in eo haud permanſerit, ſed propter anni quantitatem iuſto maiorem adſumtam prolapſum fuerit ſemper magis, ac magis in antecedentia adeo, vt ſpatio annorum 1257. (quot elapſi ſunt a CONCILIO NICAENO vſque ad annum correctionis) receſſerit a die 21. in diem 11. Martii.

§. DCXXIX.

§. DCXXIX.

SECVNDVS.

Alter error eiusdem calendarii eſt, quod nouilunia minus recte per aureos numeros in eo collatos fuerint indicata; verum quatuor, et amplius diebus ſerius, quam oportebat. Quo ex errore ſaepe contigit, vt paſcha luna XXV. quando ſcilicet luna XXIV., quae verius erat luna XVIII. incidebat, in diem dominicum transferretur. Id quod decreto concilii nicaeni manifeſto repugnat.

§. DCXXX.

Horum errorum ſequela.

Ex vtroque hoc errore factum eſt, vt paſcha quam ſaepiſſime celebratum ſit diebus longe aliis, quam decreta patrum praecipiunt.

Id quod CLAVIVS *in calendario cap.* 2. *et* 22. prolixe oſtendit. Ex quibus liquet, quam neceſſarium fuerit, vt annus, et calendarium emendaretur, tum vt incommoda, quae commemoraui, euitarentur, tum vt ne in grauiora inciderent.

§. DCXXXI.

Quibus emendandis ſtatuit GREGORIVS XIII. P. *duplici modo* 1*mo.*

Errores hos plurimum aliorum fontes iam dudum aduerterunt viri eruditi, concilia, ac pontifices, quibus emendandis diligentem ac diu-

diuturnam operam nauarunt. Opus a pluribus tentatum perfecit GREGORIVS XIII. P. et ad reſtringendum aequinoctium vernum ſtatuit, vt decem dies A. 1582. menſe octobri omitterentur, atque ideo poſt diem quartum S. FRANCISCO ſacrum continuo decima quinta numeraretur.

PETRVS DE ALLIACO CARD. CAMERACENSIS exhortationem ad concilium conſtantienſe ſuper correctione calendarii propter vigentes eius errores delineauit eique obtulit A. 1417. quae exſtat *ap.* VON DER HARDT. *tom. III.*

§. DCXXXII.

2do.

Conſtituit praeterea idem pontifex ad euitandos deinceps ſimiles errores, vt illo ſeculo annus centeſimus maneret, intercalaris: poſtea vero ſingulis quatuor ſeculis tres primi anni ſeculares, vel centeſimi diem intercalarem omitterent, et quartus annus ſecularis, vel centeſimus eum rurſus adhiberet.

Vid. *bulla* GREGORII XIII. A. 1582. inter grauiſſimas *in bullario M. tom. II.*

§. DCXXXIII.

Emendatio haec a catholicis quidem.

Hoc factum pontificis orbis chriſtianus ingenti cum adplauſu adprobauit. Papa cardinale MADRVCIA AD RVDOLPHVM II. Caeſarem ablegato maximopere in id incubuit, vt calendarium

darium nouum ab eo reciperetur. Et ſane caeſare in comitiis auguſtanis A. 1582. res in deliberationem deducta eſt. Verum ſtatus proteſtantes a recipiendo nouo abhorrebant, non quod non neceſſariam intelligerent veteris calendarii emendationem, ſed quod id ſibi a pontifice obtrudi nollent.

Vid. AVGVST. THVANVS *in hiſt. ſui temp. lib. 75. p. 575. ſeqq.*

§. DCXXXIV.

Fuit acceptata.

Diſſenſus hic ſtatuum A. C. addictorum tamen non impediebat, quo minus A. 1583. calendarium gregorianum IMPERATOR, ceterique ſtatus catholici reciperent. Atque vt ab omnibus idem fieret, edicto die 15. Sept. A. 1583. publicato, pro ſua auctoritate adlaborauit.

RVDOLPHI II. IMP. conſtitutio hac de re in Auſtria 1. Octob. A. 1583. edita, et 20. Ian. 1584. addita ſanctione repetita exſtat *in* MEO CORP. IVR. ECCLES. AVSTR. *p.* 74.

§. DCXXXV.

Minime vero a proteſtantibus.

Et erant ſtatus A. C. nonnulli, quos caeſaris maieſtas moueret, renuentibus ceteris, tum quod non aequo ferrent animo verba bullae: *pro data nobis a Domino auctoritate, hortamur, et rogamus chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Rudolphum Romanorum regem, illu-*

ſtrem

ſtrem imperatorem electum, ceteroſue reges, principes, ac reſpublicas, IIS DENIQVE MANDAMVS etc. tum quod eſſent eruditorum quidam, qui calendarii huius noui errorem non vnum ſibi viſi ſunt deprehendiſſe.

Vid. SCALIGER *de emend. temp.* STRAVCHII *diſſ. de computat. iulian. conſtit. gregoriana.* LINCKII *diſſ. de calendario.*

§. DCXXXVI.

Inde inualuit in Germania calendarii veteris et noui vſus.

Vtriusque calendarii in Germania vſus fieri non potuit, quin ingentem vtroque in foro rerum, negotiorumque confuſionem pareret. Quae vt euitaretur deinceps, ſuoque ordini agendi forenſis ratio reſtitueretur, ſaepius quidem in comitiis imperii, ſed irrito conatu agitatum eſt.

Vid. RECESS. IMP. *de A.* 1613. *et de A.* 1654. *§.* 158.

§. DCXXXVII.

Proteſtantibus tandem ad finem ſec. XVII. media via placuit.

Repetitae Caeſarum MATHIAE, et LEOPOLDI de componendo calendarii negotio exhortationes eo tandem id perduxerunt, vt ſub finem ſeculi XVII. diuturnae contentioni finem imponerent proteſtantes, eamque ita componerent, vt dies 11., qui 18. Febr. ſtili veteris con-

consequuntur, A. 1700. omitterentur, et festum S. MATHIAE in diem 18. reponeretur. Deinde praeter alia statuerunt, vt festum paschatis, et quae ab eo dependent alia, deinceps, nec secundum cyclum dionysianum in iuliano calendario receptum, nec secundum gregorianum, sed calculo astronomico ad amussim seruato in ecclesia ordinarentur.

Vid. conclusum statuum euangelicorum de emendatione calendarii die 23. Sept. 1699. *ap.* SCHMAVS. *in corp. iur. publ. pag.* 1125. Quae ipsa diuersa computandi ratio annis 1724. et 1744. quibus protestantes diem paschalem integra hebdomade citius quam catholici celebrarunt nouis collisionibus occasionem praebuit. Atque haec sunt calendarii in Germania fata.

§. DCXXXVIII.

Quomodo in Hungaria obtineat.

Reliquus orbis christianus gregoriano vtitur. Memorabilis autem imprimis est eius in Hungaria receptio. Nam quum A. 1588. RVDOLPHVS rex suadente pontifice calendarii noui vsum in Hungariam inuehere studeret, *status et ordines regni autem mallent, vt vetus calendarium a tot iam annis obseruatum, et cui se tam pauperes, quam diuites longo vsu adcommodarent, in pristino suo statu permaneret, volentes tamen se piae, et clementi suae maiestatis admonitioni adcommodare* declararunt tandem, *se non refragari quidem, vt deinceps noui, et reformati calendarii vsus sit, hoc tamen per expressum declaratum esse velle, se*

illud nullius alterius, quam sola, et vnica regiae suae maiestatis auctoritate in productum admittere.

Hisce verbis conceptum esse legitur RVDOLPHI *decretum IV. art.* 28. *in* CORP. IVR. HVNG. *t.* I. *f.* 571.

§. DCXXXIX.

II.) RECONVENTIO.

RECONVENTIO est *actio, quae a reo mouetur contra actorem in eodem iudicio, licet respectu huius ceteroquin incompetente.* Quoniam scilicet aequitati consentaneum est, vt cuius quis in agendo obseruat arbitrium, eundem habere contra se iudicem non dedignetur; potest reus actorem, quem ratione cuiusdam negotii sibi mutuo obligatum habet, apud eundem iudicem reconuenire, vtut alias incompetentem. Vid. *cap.* 1. *et* 2. *h. t.*

Quacum adeo minime confundi debet ea mutuae petitionis species, qua reus actorem suum conuenit separato processu coram iudice eius competente, de qua est *cap.* 3. *de rescript. in VI.*

§. DCXL.

Propria et impropria.

Diuidi vulgo solet in *propriam*, quae ita instituitur, vt praeterquam, quod proroget iurisdictionem, etiam pari passu cum conuentione procedat, et *impropriam*, quae priorem quidem effectum, non etiam posteriorem habet.

§. DCXLI.

§. DCXLI.

Illa cum conuentione pari paſſu ambulat.

Propria igitur, quam vocant, reconuentio ſimultaneo cum conuentione proceſſu eodemque iudiciorum ordine, ac figura peragitur, ita tamen, vt prius in conuentione actoris, deinde in reconuentione, atque ita deinceps ſingulis in actibus ad finem vſque litis procedatur. vid. *cap.* 1. *h. t.*

§. DCXLII.

Modo ante litem conteſtatam proponatur.

Quo quidem effectu vt gaudeat, eam neceſſe eſt, ante litem conteſtatam proponi. Namque poſt hanc mota retinet vim prorogandi iudicii, amittit tamen effectum ſimultanei proceſſus. *clem.* 2. *de verb. ſignif.*

§. DCXLIII.

Ei locus etiam eſt coram iudice delegato petito.

Inſtitui reconuentio poteſt non tantum coram iudice ordinario, ſed et *delegato*, ſi modo ſic datus ſit ad reconuenti ſupplicationem. Namque ſi motu proprio conſtituti ſint commiſſarii, reconuentioni locus non eſt propterea, quod dici nequeat ab actore tum electum fuiſſe iudicem, quem praeter expectationem ſuam nactus eſt. vid. *cap.* 3. *de reſcript. in VI. cap.* 1. *h. t.*

Ceterum coram iudice delegato reconuentioni motae caedem omnino qualitates, quae conuentioni insunt, vt adeo, si datus sit iudex cum clausula: *remota adpellatione*, eadem quoque in reconuentione repetita censeatur. vid. *cap. 2. h. t.*

§. DCXLIV.

Non coram arbitro, nec iudice adpellationis.

Multo minus reconuentioni locus esse potest coram *arbitro*, cuius omnis, quam habet iudicandi potestas ex compromisso pendet; neque coram *iudice adpellationis*; quippe, quod actori beneficium primae instantiae eriperetur, nisi adpellatio duntaxat *extraiudicialis* facta esset, quae, si effectum spectes, nihil aliud est, quam *prouocatio ad causam*, quae beneficio primae instantiae haud priuat. vid. *cap. 6. de arbitr. cap. 59. de adpellat. cap. 1. de elect. in VI.*

§. DCXLV.

Laicus clericum reconuenire coram laico etiam iudice potest.

Reconuenire potest reus laicus actorem etiam clericum, vtut in causa personali communi iure secularis iudex eius respectu sit incompetens; si modo causa reconuentionis ita comparata sit, vt iudex de ea cognoscere queat. Neque enim prorogatio iurisdictionem tribuere potest, quam non habet, sed iudicem tantum, qui non est, competentem facit.

§. DCXLVI.

§. DCXLVI.

Quod probatur.

Eſt enim reconueniendi facultas cuique iure ciuili tributa, et iure canonico probata, vt in principio probaui, exigente id publica ciuitatum vtilitate, cuius intereſt, lites quam citiſſime finiri. Atqui ratio haec iuris non ciuilis modo, quam canonici in clerico actore non minus locum habet, quam in quocunque alio. Nihil igitur prohibet, quo minus aduerſus ſe iudicem habere dignetur, quem pro ſe idoneum agnouit.

§. DCXLVII.

Idem.

Praeterea id certum eſt, olim clericos communi cum reliquis iure vſos fuiſſe: ita enim IVSTINIANVS IMP. NOV. 123. *cap.* 25. quum in principio negaſſet, apocriſarios in cauſa epiſcopi, aut clerici conuenire poſſe, ſubiungit: *tunc enim ſolis illis, qui ab eis conueniuntur, damus licentiam, ſi quam obligationem habent contra eccleſiam, aut contra epiſcopos eorum proponere.* Enimuero hoc ius aliqua lege poſteriori abrogatum fuiſſe probari non poteſt.

§. DCXLVIII.

Obiectiones.

Nam quod vulgo dicitur, clericum non poſſe iudicis laici prorogare in ſe iurisdictionem

 nem

nem ſine conſenſu epiſcopi per *cap.* 12. *de foro compet.* nihil obſtat, inquit VALLENSIS, *quia hoc caſu prorogat non clericus ipſe iurisdictionem laici in ſe; ſed ipſa lex prorogat, ſeu potius dat, et defert laico iurisdictionem in clericum. in paratit. iur. can. ad h. t.*

§. DCXLIX.

Soluuntur.

Neque quidquam obeſt, quod priuilegium clerici, ne conueniatur coram laico, ſit omni clericorum ordini conceſſum. Praeterquam enim, quod priuilegia minime ſint extendenda, ex eo nihil conſequitur aliud, quam quod clericus ipſe renunciare foro non poſſit in praeiudicium ordinis, non autem, ne ipſa quidem lex id efficere nequeat.

§. DCL.

Reconuentio fieri poteſt regulariter in cauſis omnibus.

Fieri poteſt reconuentio in omni cauſa, ſiue agatur in rem, ſiue in perſonam: niſi iure quibusdam in cauſis inhibeatur. *cap.* 1. *et* 2. *h. t* Interdicta autem eſt reconuentio 1.) in cauſis criminalibus: 2.) praeiudicialibus: 3.) ſpiritualibus coram iudice laico: 4.) in cauſa ſpolii, donec ſuum in locum reſtitutus ſit actor, niſi hunc quoque reus de ſpolio conueniat: porro 5.) in cauſis executiuis: 6.) depoſiti

positi negotio, ac denique 7.) in causis, quae summarie pertractari solent. *caus. III. q. XI. can. 1. cap. 2. de iud. cap. fin. de ord. cogn. cap. 2. deposit.*

§. DCLI.

III.) Ordo cognitionum.

Quum quaestio in causam principalem incidit, saepe controuertitur, quo ordine in his definiendis procedendum sit, de quo nunc exponendum. Est quippe ordo cognitionum nihil aliud, quam *modus seruandus a iudice in examine plurium quaestionum in eodem iudicio circa easdem personas concurrentium.*

§. DCLII.

Eius regulae.

Qua in re, ne confundendo consequentia cum iis, quae priora esse debent, difficultas emergat, tenendum est primo quidem, vt si quaestio praeiudicialis in causa ciuili emergat, a cuius definitione haec dependet, illa sit priore loco cognoscenda. vid. *cap. 1. h. t.*

Atque haec ratio est, quare exceptio excommunicationis opposita ante causae principalis definitionem examinanda sit. Eadem ex causa quaestio natalium tanquam praeiudicialis priore loco finienda est. vid. *cap. 19. de iudic. cap. 3. h. t.*

§. DCLIII.

TRADVNTVR.

Quod ſi duae quaeſtiones ciuiles, quarum altera ab altera haud dependeat, per modum actionis propoſitae ſint ſeparato proceſſu, vnaquaeque earum ſuo in foro peragenda eſt. Quodſi autem introducta altera in iudicium ſit per modum reconuentionis, idem forum, atque eadem ſententia vtrique ſimul finem imponat. vid. *cap. 2. h. t.*

§. DCLIV.

Idem.

Quodſi denique rationem exceptionis peremtoriae habet, ordo proceſſus exigit, vt ad reprobationem petitionis peractam demum inſtituatur, niſi ſi praeiudicialis eſt, qualis eſt ſpolii exceptio. vid. *cap. 2. h. t.*

§. DCLV.

Idem.

Demum ſi criminalis cauſa concurrat cum ciuili, niſi altera alteri ſit praeiudicialis; (nam haec ſemper praecognoſcenda eſt) criminalis ante ciuilem vt decidatur, cautum eſt. *l. 3. cod. de ord. iud.*

§. DCLVI.

§. DCLVI.

Idem.

Postremo illud animaduertendum, de quaestione incidente eundem iudicem cognoscere, apud quem de causa principali actio instituta est, tametsi ceteroquin iudex competens non sit, demta causa ecclesiastica, de qua etsi incidenti laico iudici potestatem cognoscendi negant canones, qui tamen non prohibent, quin iudex ecclesiasticus causam ciuilem incidentem pro auctoritate sua definiat. vid. *l.* 1. *cod. de ord. iud. cap.* 3. *h. t. cap.* 7. *qui fil. sint legit. cap.* 3. *de donat. int. vir. et vxor.*

§. DCLVII.

Petitorium et possessorium.

Debitus cognitionum ordo quam maxime in causa possessionis et proprietatis seruari debet. Est vero POSSESSORIVM: *vbi de facto possessionis, vel antiquiori, et minus vitioso, vel de vltimo actu quiete exercito quaeritur.* PETITORIVM, *vbi de proprietate controuersia mouetur.*

§. DCLVIII.

Cumulari possunt.

Permissa est vtriusque remedii cumulatio, sed quatenus sunt *compatibilia.* Hinc cumulari

ri possunt *remedia adipiscendae* et *recuperandae* possessionis cum petitorio, donec in iudicio proprietatis conclusum est. vid. *cap*. 5. *h. t*.

§. DCLIX.

Idem.

At *retinendae* possessionis remedium cumulari cum causa proprietatis nequit, repugnante vtriusque formula, nisi de seruitute agatur, propterea, quod confessoria etiam possidenti detur. vid. *clem. vnic. h. t*.

§. DCLX.

Effectus huius cumulationis.

Nunc de effectu huius cumulationis videamus, qui quidem in eo situs est, vt si iudici non liqueat de petitorio, quum de causa possessionis certo constat, de hac sola interim pronunciare possit. Si vtraque liquida, de vtraque pronunciandum sit. Quumque fieri nihil prohibeat, vt actor vincat in possessorio, in petitorio succumbat, ita pronuncianda sententia est, vt praemittatur possessio, quatenus effectus quidam iuris ex ea dependent, tametsi in executione causa proprietatis potior habeatur. vid. *cap*. 3. *et* 6. *h. t*.

§. DCLXI.

Idem.

Sed etsi de possessorio actum est seorsim, coram eodem tamen iudice causa proprietatis peroranda est, ne causae connexae sine necessitate diuellantur. Namque succumbenti in possessorio non est ademta facultas experiundi in petitorio. vid. *cap.* 1. *et* 8. *h. t.*

§. DCLXII.

IV.) Exceptiones.

Quo se in iudicio conuentus reus tueatur, remedium est exceptio, quae est *adlegatio rationum, quibus reus actionem aduersus se in iudicium deductam impugnat.* Quumque reus aut iudicium impugnet, quo actio mota est, aut ius ipsum in iudicium deductum, illas *dilatorias*, has *peremptorias* adpellant.

Exceptiones dilatoriae in specie *fori declinatoriae* dicuntur, quibus iudicium impugnatur ratione fori. Quarum ea vis est, vt si sint liquidae, reus litem contestari non teneatur. vid. rec. Imp. *de A.* 1654. *§.* 10.

§. DCLXIII.

Dilatoriae.

Ceterum *exceptiones dilatoriae* proponendae sunt ante litem contestatam. Intra quod autem tempus essent proponendae, iure veteri de-

definitum non erat, ac proinde ad iudicis officium pertinebat praefigere terminum, intra quem omnes ſimul proponerentur. vid. *cap.* 20. *de ſent. et re iud. et cap.* 4. *h. t. iure* autem *imperii nouo* id tempus lege conſtitutum eſt, cautumque, vt omnes in primo termino ante litem conteſtatam adlegentur adeo, vt deinceps haud admittantur, niſi iuſta ex cauſa; haec qualis ſit? vid. REC. IMP. *de A.* 1654. §. 37. *cap.* 4. *et* 12. *h. t. cap.* 31. *de teſt. cap.* 4. *in fin. de procurat.*

§. DCLXIV.

Peremtoriae.

Peremtoriae, quae litis ingreſſum impediunt, quorum ex numero ſunt *exceptiones rei iudicatae: transactionis litis per iusiurandum finitae:* ante litis conteſtationem tum opponendae, tum etiam in continenti probandae ſunt. Quae autem litis ingreſſum non impediunt, litis conteſtationi ſunt adnectendae. vid. *cap.* 1. *et* 2. *de lit. conteſt. in VI.* REC. IMP. *de A.* 1654. §. 40.

§. DCLXV.

Corollaria.

Atque ex his perſpicuum eſſe arbitror, ex eo, quod quis exceptionem peremtoriam opponat, eum nec intentionem actoris confeſſum, nec litem conteſtatum fuiſſe videri. Nec minus illud patet, probata exceptione litis ingreſ-

ſum

ſum impediente; reum ab actione abſoluendum eſſe, vt alia non referam, ex vſu fori cuiusque, et ſtatutis locorum addiſcenda. vid. *cap. 6. h. t. cap. 63. de R. I. in VI. cap. 2. de lit. conteſt. in VI.*

§. DCLXVI.

Huc pertinet PRAESCRIPTIO.

Inter exceptiones peremptorias inſigne momentum habet *exceptio praeſcriptionis*: eſt autem PRAESCRIPTIO nihil aliud, quam *exceptio, qua quis aduerſus intentionem actoris poſſeſſionem, quam habet, aut libertatem tuetur.* Patet igitur duas eſſe praeſcriptionis ſpecies, *adquiſitiuam*, qua quis ius in re aliena ſibi quaeſitum tuetur: et *extinctiuam*, qua quis ſe ſe aduerſus intentionem actoris defendit, eo quod is ius ſuum ob lapſum temporis ad agendum praefiniti amiſerit.

§. DCLXVII.

Eius REQVISITA *ſunt.*

Vt autem per praeſcriptionem ius in re aliena adquiri poſſit, REQVISITA adſint, neceſſe eſt, quae legibus deſiderantur. Sunt autem 1.) *habilitas ſibi habendi*: 2.) *bona fides*: 3.) *iuſtus titulus*, 4.) *poſſeſſio quieta, et continua*, 5.) *lapſus temporis lege praefiniti.*

§. DCLXVIII.

§. DCLXVIII.

1.) *Habilitas possessionis*

Primum adquisitiuae praescriptionis requisitum monebam esse *habilitatem possessionis* rem possidendi vt suam. Igitur qui possessionis capax non est, praescribere rem non potest. Ex quo quidem principio nec *iurisdictionem ecclesiasticam*, nec *decimas a laico* posse adquiri *iure decretalium* sancitum est. *cap.* 6. *et* 7. *h. t.*

At quoniam nihil impedit laicum *per priuilegium* adquirere ius decimarum, vt quidem fatentur omnes: *immemorialis* autem *possessio* priuilegii olim concessi argumentum est, quod contraria probatione euerti nullo modo potest, nihil est, quod prohibeat, quo minus immemoriali saltem possessione decimarum ius a laico legitime adquisitum dicamus.

§. DCLXIX.

Idem.

Porro quia legitima praescriptio requirit, vt quis rem, *vt suam* possederit, perspicuum est, *rem vitiosam* praescriptioni obnoxiam non esse, *nec plus praescriptione adquiri, quam possessum est*, nec quemquam praescribere posse, qui non suo, sed alterius nomine rem possederit. vid. *cap.* 17. *et* 18. *h. t. cap.* 29. *de decimis.*

§. DCLXX.

2.) *Bona fides.*

Alterum, quod legitima praeſcriptio deſiderat, requiſitum eſt *bona fides*, ob quam poſſeſſorem ita eſſe animo comparatum oportet, *vt in nulla temporis parte rei habeat conſcientiam alienae.* Qua de cauſa *iure* quidem *noſtro ſuperueniens mala fides* praeſcriptionem etiam longiſſimi temporis, impedit: tametſi *iure ciuili* Romanorum aliud obtinere nemini ignotum eſt. vid. *cap. vlt. h. t. cap.* 5. *eod.*

§. DCLXXI.

3.) *Iuſtus titulus.*

Deinde *iuſtum titulum* requirunt leges. Quod quidem de praeſcriptione longi temporis expeditum eſt. At ſi tempus longiſſimum triginta, vel quadraginta annorum effluxerit, tituli huius ratio nulla habetur, niſi poſſeſſori *praeſumtio*, aut *ius commune* aduerſetur. vid. *cap.* 4. *de emt. et vend. cap.* 3. *h. t. cap. IX. eod. in VI.*

§. DCLXXII.

4.) *Poſſeſſio quieta et continua.*

Porro *poſſeſſionem* dicebam eſſe debere *quietam*, et *continuam*, fieri autem variis ex cauſis poteſt, vt curſus eius ſiſtatur, veluti quum hoſtium vi impedimentum iniicitur, aut eccle-

ſia

ſia ſchiſmate ſcinditur, paſtoreue ſuo viduata luget. Durantis enim iuſti impedimenti tempus poſſeſſori eſſe ſubducendum, aequum eſt. vid. *cap.* 4. 10. 14. *et* 15. *h. t. cap.* 41. *de elect.*

§. DCLXXIII.

Idem.

Quieta autem *poſſeſſio* non eſt, quae *interrumpitur*: idque fit *naturaliter*, et *ciuiliter*; ac *naturaliter* quidem amiſſa poſſeſſione: *ciuiliter* mota ab aduerſario lite. Et quum *iure ciuili* non niſi per litis conteſtationem interrumperetur praeſcriptio, *iure noſtro* ſola ſufficit citatio rite inſinuata. vid. *l.* 18. *de rei vind. clem.* 2. *vt lit. pend.*

§. DCLXXIV.

5.) *Tempus lege definitum.*

Poſtremo *temporis lege definiti* rationem eſſe habendam diximus. Qua in re id monendum eſt duntaxat, quum contra eccleſiam olim quidem triginta annorum ſpatio expleretur praeſcriptio, ad normam ciuilis iuris inualuiſſe deinceps, vt quadragenaria poſſeſſio requiratur, excepta romana eccleſia, aduerſus quam ex IVSTINIANI IMP. priuilegio non minor centenaria admittitur. vid. *cap.* 3. 8. 9. 13. *et* 14. *h. t. cap.* 2. *eod. in VI.* NOV. 131. *cap.* 6.

§. DCLXXV.

§. DCLXXV.

Praescriptionis extinctiuae fundamentum.

Haec de praescriptione adquisitiua. Extinctiuae enim fundamentum est negligentia eius, qui, quum potuisset intra tempus lege definitum ius suum persequi, eo vsus non est. Quare exceptione repellitur, si experiri contendat tempore legitimo iam tum elapso. vid. *cap.* 5. *et fin. h. t. cap.* 2. *de reg. iur. in VI.* Ex quibus colligunt doctores in hac praescriptionis specie de bona, aut mala fide non quaeri, sed nudum temporis lapsum, et non agentis negligentiam.

§. DCLXXVI.

Corollaria.

Inde est, quod debitum indefinite contractum longissimi temporis praescriptione extinctum esse censeri debeat. Si enim, vt supponitur, nullus solutioni debiti terminus fuerit praefinitus, debitor nunquam interpellatus eam differendo culpa vacat, vt adeo creditor sibi imputare debeat, quod tempore legali debitorem suum interpellare, vel actionem contra eum instituere neglexerit.

Licet enim debitor sciat, se ad absolutionem esse obstrictum, haec tamen scientia iuris alieni non inuoluit peccatum iniustitiae, quod ab omni praescriptione abesse vult. *cap. vlt. h. t.* confundi autem minime debet *scientia iuris alieni* cum scientia

rei alienae, quae ſine vlla mora vero Domino reſtituenda eſt.

§. DCLXXVII.

Idem.

Nec etiam mihi ſaltem iure canonico vllum ſubeſſe dubium videtur, quin annuae praeſtationes vna praeſcriptione tolli queant. Ex luculentiſſimis enim huius iuris textibus perſpicuum eſt, quod quarta decimarum, et funeralium epiſcopo debitarum, aliaque iura epiſcopalia, obligatio ſoluendi decimas, et annuos cenſus quadragenaria annorum praeſcriptione minui, vel omnino perimi poſſint. vid. *cap.* 4. 6. 13. *et* 15. *h. t. cap.* 1. *eod. in VI.* add. *cap.* 20. *de cenſib. et cap.* 15. *de priuil.*

§. DCLXXVIII.

Caſus, queis ea locum non habet.

Enimuero ſunt caſus nonnulli, in quibus praeſcriptioni huic locus non eſt: neque enim admittitur illa aduerſus obedientiam: reuerentiam, viſitationem, et exactionem procurationis. Nihil autem impedit, quo minus fideles laici in immunitate a praeſtandis decimis ſe ſe tueantur, ſi eas exigere eccleſia annis quadraginta, nullo interueniente iuſto impedimento, neglexit. vid. *cap.* 4. 11. 12. *et* 16. *h. t.*

§. DCLXXIX.

§. DCLXXIX.

In iis tamen obtinet praeſcriptio immemorialis.

Quibus autem in cauſis praeſcriptioni locus non eſt, in iis immemorialis poſſeſſionis auctoritas ius poſſidentis tuetur, cuius ea vis eſt, vt praeſumtionem iuris, et de iure inducat, iam tum in principio ius, quod praeſcribi nequit, iuſto titulo adquiſitum fuiſſe, tametſi is ob temporis diuturnitatem hominum viuentium memoriam ſuperantem probari non poſſit. vid. *cap.* 1. *h. t. in VI. cap.* 26. *de V. S.*

§. DCLXXX.

Huc etiam pertinet REMEDIVM SPOLII.

Remedia, quae ad poſſeſſionem pertinent, alia ad adquirendam, alia ad retinendam, alia demum ad recuperandam poſſeſſionem comparata ſunt. Ac priora illa duo ex principiis, iisdem, quae iure ciuili conſtituta ſunt, aeſtimantur: poſterius vero, quod iure canonico ſpecialem determinationem accepit, *remedium ſpolii* adpellari ſolet. vid. *cap.* 9. *de probat.*

§. DCLXXXI.

Ex CANON. 3. *III. q. I.*

Si ea, quae in CAN. 3. CAVS. *III. q. I.* continentur, ſpectes, nihil in iis, niſi quamdam interdicti *vnde vi* adplicationem reperies. At inter-

terpretationes doctorum sententia eius canonis latius producta locum fecit constitutionibus pontificum, quae hoc titulo commemorantur.

§. DCLXXXII.

Spolium.

Est autem SPOLIVM *quodlibet factum illicitum, quo alicui seu vera, seu quasi possessio rei aufertur.* Ex quo constat, spolium non esse, quum alter in possessione rei omnino non fuit, aut factum illicitum, quo illa auferretur, nullum intercessit. vid. *cap.* 10. *de offic. iud. deleg. cap.* 17. *h. t.*

§. DCLXXXIII.

Vario modo committi potest.

Committi spolium potest in rebus tam immobilibus, quam mobilibus, vt et in iuribus: neque refert, vis interuenerit, an nulla adeo, vt remedio huic etiam culpa locum faciat. vid. *can.* 3. *cauf. III. q. I. cap.* 6. *de sepult. cap.* 6. 8. 9. *h. t.* Porro reus spolii non modo priuatus esse potest, sed etiam iudex, dum neglecto iuris ordine possessione priuat. Is quoque ab hoc crimine alienus non est, qui ad spolium alterius moraliter concurrit, mandans illud, vel ratum habens, aut etiam scienter rem spolio ablatam accipiens. vid. *cap.* 7. 15. 18. *h. t.*

§. DCLXXXIV.

§. DCLXXXIV.

Et per exceptionem quoque poteſt proponi.

Quaeſtio ſpoliationis obiici poteſt vel in modum *actionis* ad reſtitutionem petendam, vel in forma *exceptionis* ad intentionem aduerſarii repellendam. Duplex igitur ſpoliato comparatum eſt remedium, alterum, quo reus ſpolii obligatur ad rem cum omni cauſa reſtituendam, data contra illum ACTIONE *ſpolii*: alterum, vi cuius ſpoliatus nondum facta reſtitutione nullum cum ſpoliatore iudicium ſuſcipere tenetur, comparata eum in finem EXCEPTIONE *ſpolii.* vid. *cap.* 2. *de ord. cognit.*

§. DCLXXXV.

Actio ſpolii.

Datur igitur actio ſpolii ſpoliato contra ſpoliatorem, tametſi rem amplius non poſſideat. Datur etiam aduerſus tertium poſſeſſorem ſpolii conſcium; neque eius vſum impedit reuerentia reo ceteroquin debita. Contra tertium vero bonae fidei poſſeſſorem, tametſi vulgo interpretes laudatum. *can. redintegranda:* etiam ad hunc pertinere contenderint, haec actio non competit. vid. *cap.* 11. *et* 18. *h. t.*

§. DCLXXXVI.

Eius effectus.

Vt autem restitutionem spolii per actionem consequatur, sufficit constare de spolio, atque id probatum esse. Quo fit, vt spoliatus titulum possessionis docere non teneatur, nisi ius ei commune aduersetur. Ex quo porro satis intelligitur, nulli eum exceptioni, quae possessionis qualitatem, vel titulum respicit, ante restitutionem respondere, nec cautionem spoliatori super illa praestare debere. Quid? quod si proprietatis quaestio simul mota fuerit, nihilominus spoliato integrum sit, hac suspensa solam possessionis recuperandae causam prosequi. *cap. 2. h. t. in VI. cap. 1. 2. 5. 6. pro cap. 22. de offic. iud. deleg. cap. 2. de ord. cognit. clem. vnic. de caus. poss. et propriet.*

§. DCLXXXVII.

Idem.

In restitutione spolii dum res ablata, et in subsidium eius aestimatio continetur, tum etiam omne damnum eius causa datum, fructusque a spoliatore non modo percepti, sed et percipiendi, si spolium vi, aut dolo malo perpetratum est, probationem eorum, atque aestimationem actor praestito iureiurando peragit. vid. *cap. 7. 11. seqq. h. t. cap. 22. de offic. iud. deleg. cap. 8. de transact. cap. 7. de his, quae vi, met. caus. fiunt.*

§. DCLXXXVIII.

§. DCLXXXVIII.

Exceptioni ſpolii ſemper locus eſt.

Quoniam ſpoliatus ante reſtitutionem reſpondere ſpoliatori haud teneatur, conſequens eſt, vt cuicunque actioni a ſpoliatore motae exceptionem ſpolii in qualibet litis parte opponere poſſit, modo probatio ſpolii in continenti fieri poſſit, quo facto cauſae principalis cognitio vſque ad plenam rei reſtitutionem ſuſpendenda eſt. vid. *cap. 2. et 4. de ord. cognit. cap. 1. h. t. in VI.* Quandoque etiam de ſpolio agenti reſtitutio denegatur ob periculum animae vel damni irreparabilis ex reſtitutione imminentis vel ob alias vrgentiſſimas cauſas. vid. *c.* 8. *et* 13. *h. t.*

§. DCLXXXIX.

V.) LITIS PENDENTIA.

Citatione a iudice competente decreta, et reo rite inſinuata initium iudicii inducitur, et lis in foro pendere dicitur. Eſt enim LIS PENDENS nihil aliud, quam *lis in iudicio coepta, ſed nondum ad finem perducta.*

§. DCXC.

Ea durante omnis innouatio.

Quidquid ad ſtatum litis pendentis, et cauſae in iudicium deductae immutandum fit, IN-

NOVATIO, seu ATTENTATVM adpellatur. Quod fieri non magis a iudice, quam ipsis litigantibus posse perspicuum est.

§. DCXCI.

Prohibita est.

Quapropter vt iuribus partium, et victori in lite futuro consuleretur, iure constitutum est, *vt lite pendente nihil innouetur;* ac proinde omnia eum in statum reuocentur, in quo fuerant tempore litis motae. vid. *can. vlt. caus. II. q. I. cap.* 1. 4. *h. t. clem.* 2. *eod. cap.* 1. *de sequest. poss.*

§. DCXCII.

Regulariter.

Ex quo principio consequens est, vt pendente lite possessione nemo sit priuandus, et salua esse debeant possessori commoda possessionis: vt cessio, et alienatio actionis, reiue litigiosae, dum lis pendet, facta nulla sit, vt electio lite pendente facta irrita sit, cessio beneficiorum in litem deducta non teneat, vt vxor diuortii vel nullitatis quaestione mota lite pendente dimitti vel iure coniugii priuari nequeat. Denique rescriptum aut priuilegium in alterius praeiudicium impetratum nullius momenti sit habendum. vid. *cap.* 1. 2. 3. 5. *h. t. c.* 1. *et* 2. *h. t. in VI. cap.* 19. *de testib.* add. *cap.* 3. 4. *h. t. caus. XI. q. I. can. vlt.*

§. DCXCIII.

§. DCXCIII.

Idem.

Quod ſi extra hos caſus quid actum eſſet, poteſt pars aduerſa, ſuſpenſa interim cauſa principali, prius de reuocando attentato, et de vitio litigioſe experiri, ne ſi obtinuerit in iudicio, in vanum laboret altero minime poſſidente. vid. *cap.* 3. *h. t.*

§. DCXCIV.

Hinc Seqvestratio *quoque.*

Seqvestratio *neceſſaria*, ſeu *iudicialis* eſt *actus*, *quo cuſtodia rei litigioſae pendente lite alicui auctoritate iudicis committitur.* Enimuero *rei litigioſae* nomine hic intelligo *quodlibet litis obiectum.* Ex quo fit, vt ſequeſtratio in res tam mobiles quam immobiles, iura etiam eccleſiaſtica non minus, quam perſonas poteſtati cuicunque ſubiectas cadat. vid. *cap.* 1. *et* 2. *h. t. clem. vn. eod. cap.* 8. *de reſtit. ſpoliat.*

§. DCXCV.

Regulariter eſt prohibita.

Quandoquidem autem ſequeſtratio ſpecies eſt innouationis, vt patet, ratio in conſpicuo poſita eſt, ob quam eam in regula prohibitam eſſe doceant, nec permiſſam, niſi ex cauſa ſpe-

ciali iure probata. vid. *l. vnic. cod. de prohib. sequestra.*

§. DCXCVI.

Casus, in quibus ea locum habet.

Est autem iure probata sequestratio, quando ea vnicum esse, atque idoneum remedium, quo satis cautum sit actori de iure suo in casum victoriae, veluti ob probabilem metum alienationis, dissipationis bonorum, praeiudiciique ex saeuitie, aut iniusta coactione imminentis. vid. *cap.* 1. 3. *h. t. clem. vnic. eod. cap.* 7. *de donat. int. vir. et vxor. cap.* 14. *de despons. cap.* 8. 13. *de restit. spoliat.*

§. DCXCVII.

Recensentur.

Iusta quoque sequestrandi causa est, dum ea adhibetur velut medium cogendi reum in se sistendo contumacem, aut ad conseruandam publicam securitatem, quam turbatum iri periculum est ex metu armorum litigiosae possessionis causa. vid. *cap.* 2. *de dol. et contum.*

§. DCXCVIII.

Requirit praeuiam causae cognitionem.

Quum igitur sequestratio non nisi ex causa iure determinata admittatur, patet eam a iudice

dice decerni non posse sine praeuia causae cognitione. Qua omissa, si ex mero iudicis arbitrio profecta est, irrita est, aut saltim a magistratu superiore reuocanda. vid. *cap.* 1. *h. t.*

§. DCXCIX.

Qua cessante relaxari debet.

Quemadmodum demum euitare eam reus potest cautione sufficienti oblata, ita causa sequestrationis cessante eam a iudice relaxari oportere merito constitutum est. vid. *cap.* 7. *de donat. int. vir. et vxor. cap.* 8. *cap.* 13. *de restit. spoliat.*

Vid. HEINECCII PANDECT. *lib. II. tit. XII. lib. XLI. tit. II. et III. lib. XLIV. tit. I. seq.*

§. DCC.

Idem.

Huc quoque pertinet periculum *damni irreparabilis*, ad quod auertendum etiam *virgines* et *vxores* sequestrantur. Deinde ob *qualitatem rei singularem*, de qua litigatur, sequestratio fieri potest, vt si de *beneficio ecclesiastico* contra possessorem *non triennalem* agitur, isque *in possessorio vel petitorio sententiam contra se tulerit. cap.* 2. 4. *de spons. duor. cap.* 14. *de sponsal. cap.* 14. *de testib. cap.* 13. *de restit. spoliat. cap. vn. de sequestr. in VI.*

TITVLVS VII.

DE

IVRAMENTO CALVMNIAE.

TITVLVS XVIII.

DE

CONFESSIS.

TITVLVS XIX.

DE

PROBATIONIBVS.

TITVLVS XX.

DE

TESTIBVS ET ATTESTATIONIBVS.

TITVLVS XXI.

DE

TESTIBVS COGENDIS VEL NON.

TI-

TITVLVS XXII.
DE
FIDE INSTRVMENTORVM.

TITVLVS XXIII.
DE
PRAESVMTIONIBVS.

TITVLVS XXIV.
DE
IVREIVRANDO.

§. DCCI.

Connexio.

Iam eo perduximus actorem et reum, vt eorum, quae adferunt, probationes adferri debeant; quibus tamen carere possumus, si reus non neget, sed confiteatur actoris intentionem. Quae enim in iure interrogatus confessus est, probatione non egent. Quare exsplicabimus nunc I.) DE CONFESSIONE, II.) DE PROBATIONE *generatim*, tum vero *in specie*, 1.) *de testibus* 2.) *de instrumentis*, 3.) *iureiurando*, 5.) *de praesumtionibus.*

§. DCCII.

§. DCCII.

I.) CONFESSIO.

CONFESSIO *generatim* est *declaratio*, *qua quis agnoscit veritatem facti proprii.* Eaque *vera*, quae actu interuenit, et *ficta*, quae iure fingitur interuenisse, tametsi re ipsa interuenerit nunquam. Quae quidem posterior ex iuris dispositione, causaque speciali pro confessione habetur ad coercendam contumaciam. vid. *cap.* 2. *h. t. in VI. cap.* 7. §. 1. *de iuram. calum.*

§. DCCIII.

Legitima.

Vt autem ad veritatem facti sufficienter probandam idonea sit confessio, eam oportet esse *legitimam*, qualis tum est, si sit *de facto* confitentis *proprio*, a *sciente*, et *intelligente animo serio*, et *sponte* facta. vid. *cap.* 1. *h. t. cap.* 14. *de fide instrum. cap.* 16. *de offic. et pot. iud. deleg.*

§. DCCIV.

1.) *Iudicialis,*

Confessio in iudicio facta legitima esse praesumitur, vimque habet plenae probationis aduersus confitentem in causis non magis ciuilibus, quam criminalibus, si modo in iudicio competente facta sit. vid. *cap.* 4. *de iudic. cap.* 6. *de excess. praelat.*

cap.

cap. 10. *de cohab. cleric. cap.* 7. *de poen,* Ceterum iudicialis isthaec confessio impugnari potest, aut errore satis probato, aut impetrata aduersus confessionem noxiam ob errorem in integrum restitutione. vid. *cap.* 3. *h. t. cap.* 2. *de restit. in integrum. in VI.*

§. DCCV.

2.) *Extraiudicialis.*

Extraiudiciali confessioni, sunt, qui nihil inesse credunt virium ad probandum: alii, si eam legitimae confessionis requisita habere constat, aduersus confitentem eam plene in causa ciuili probare contendunt. Quod esse puto verius. vid. *cap.* 2. *h. t. cap.* 6. *de renunc. cap.* 10. *de transact.*

§. DCCVI.

Tertio non obest confessio.

De eo autem inter omnes conuenit, nullius confessionem eius esse efficaciae, vt aduersus tertium probet, tametsi eiusdem facti consors esse arguatur. vid. *cap.* 1. *et* 10. *h. t. cap.* 10. *de probat. cap.* 10. *de testib.*

§. DCCVII.

Quae porro vel qualificata est vel simplex.

Confessionem doctores vocant *qualificatam*, quae fit adiecta quadam limitatione, eique oppo-

opponunt *ſimplicem.* Et ſiquidem ita limitetur confeſſio, vt factum eodem tempore determinatum dicatur, eam ab aduerſario non poſſe ita diuidi tradunt, vt limitationis negatae probatio a confitente exigatur; ſed aut repudianda eſt tota, aut ſub eadem limitatione acceptanda: niſi fortaſſe adiecta limitatio iuris praeſumtioni aduerſetur.

§. DCCVIII.

II.) Probatio.

Probatio *generatim* eſt *actus, quo veritas facti controuerſi euincitur, vt ei fides habere poſſit.* Remedia ad veritatem facti euincendam apta dicuntur *media probandi*, et *legitima* quidem, ſi rationem ſufficientem contineant factum adfirmandi: *ſpuria*, ſi ita comparata non ſint. vid. *cap.* 27. *de teſtib. cap.* 17. *de reſtit. ſpoliat.*

§. DCCIX.

Iudicialis.

Quae in iudicio fit, dicitur *probatio iudicialis.* In qua quidem ad iudicii finem exacta ita verſari oportet, vt pertineat ad facta duntaxat inter partes controuerſa, et litis deciſioni inſeruientia, nec ad alia concedatur, quae hanc neque directe, neque indirecte poſſint promouere. vid. *cap.* 44. *de adpellat. cap.* 8. *de except. cap.* 32. §. 1. *de ſimon.*

§. DCCX.

Idem.

Ex eodem fundamento perſpicuum eſt, eam iudicis directioni ſubiectam eſſe, ad cuius adeo officium pertinet determinare, cui onus probandi incumbat, ſi id neceſſe eſt, quid ſit probandum, nihilque reliqui facere, quod ad probationem promouendam, reddendamque faciliorem non pertineat. vid. *cap.* 5. *pr. vt lit. non conteſt. cap.* 45. *de teſtib.*

§. DCCXI.

Diſtinguenda in ea ſunt ſubſtantialia et ſolennia.

Ea, quae ex natura, atque eſſentia probationis intelligi poſſunt, voco eius *ſubſtantialia.* Quae autem lege eidem adiecta ſunt ad exacte efficiendam probationem, mihi ſunt probationis *ſolennia.*

§. DCCXII.

Probatio eſt 1.) *ordinaria et ſummaria.*

Probatio, in qua non modo eius ſubſtantialia, ſed et ſolennia obſeruari debent, eſt *ordinaria*, cui opponunt *ſummariam*, eam ſcilicet, in qua praetermiſſis ſolennibus ſubſtantialia obſeruaſſe ſufficit. *Illa* in iudicio ordinario exigitur: *haec* tum in iudiciis ſummariis,

tum etiam caufis, quae ordinario iudicio incidunt, admittitur. vid. *Clem.* 2. *de verb. fignif.*

§. DCCXIII.

2.) *Plena et minus plena.*

Plena probatio eft, quae fit per tot media probandi, quot ex praefcripto legum fufficiunt ad euincendam facti veritatem. Quae ab hac deficit, eft *minus plena*, eaque aut *femiplena*, aut *plus minusue*, quam *femiplena*. vid. *cap.* 2. *de probat.*

§. DCCXIV.

3.) *Artificialis et inartificialis.*

Ratione modi diuiditur in *inartificialem*, qua factum ipfum, quod probandum eft, directo probatur. Et in *artificialem*, qua factum probandum iufto ratiocinio infertur ex aliis factis, vel probatis, vel aliunde certis.

§. DCCXV.

4.) *Probatio in fpecie et reprobatio.*

In iudicio ciuili probatio eorum, quae ad caufam principalem pertinent, fufcipi demum poteft poft litem conteftatam. Eft autem duplex fere probatio, quae in eo vfuuenit, altera *probatio*, *in fpecie* fic dicta, ad quam alteruter litigantium fufcipiendam obligatur:

alte-

altera *reprobatio*, quae fit ad elidendam probationem ab aduersario susceptam, sed quam suscipere neuter cogitur. vid. *cap.* 1. 2. 3. *vt lit. non contest.*

§. DCCXVI.

Onus probandi.

Obligatio haec ad suscipiendam in iudicio facti probationem vocari solet *onus probandi:* idque semper ferre debet is, qui factum adfirmat, ex quo ius aliquod sibi competere intendit, nisi quadam iuris praesumtione nitatur. vid. *cap.* 2. *de restit. spoliat. in VI.*

§. DCCXVII.

Adfirmanti non vero neganti incumbit.

Ex quo euidens est lite, vt fit, negatiue contestata, actorem teneri ad probandum fundamentum agendi, quatenus quidem illud ab actore negatum est: quemadmodum reus, si quid in contestatione litis adfirmauit, fundamentum excipiendi probari sine dubio cogendus est. vid. *caus. VI. q. V. can.* 1. *et* 2. *cap.* 3. *h. t.* Neganti factum ab altero adlegatum nulla per naturam incumbit probatio, nisi in negatione adsertio noui facti contineatur, quod ad exceptionem pertineat. vid. *cap.* 11. *h. t. cap.* 23. *de elect. cap.* 5. *in fin. de renunc. cap.* 14. *de fide instrum.*

§. DCCXVIII.

Istudque iudex iniungit.

Quod si is, cui onus probandi incumbit, ei se sponte haud subiiciat, ad officium iudicis pertinet, eam iniungere interposita sententia, inque ea determinare, quis probare debeat, quid sit probandum, et intra quod tempus probatio sit peragenda. vid. *cap.* 9. *de fide instrum. cap.* 15. *cap.* 36. *de testib.*

§. DCCXIX.

Terminumque praescribit.

Etenim terminus probationi iure communi praefixus haud est, atque adeo a iudice demum praescribendus, qui pro peremtorio tum habendus, si natura, et requisitis termini peremtorii instructus est, de quo alibi dixi. Currere autem incipit a die, quo sententia, qua is definitus est, in rem iudicatam abiit. vid. REC. IMP. *de an.* 1654. §. 50.

§. DCCXX.

Intra quem peragenda est probatio.

Et quamuis nihil impediat, quo minus etiam post terminum perfici probatio, atque absolui possit ratione eorum, quae in ea peragenda aut a iudice, aut etiam ab aliis pendent: tamen, quatenus ea in eius duntaxat arbitrio,

bitrio, cui onus probandi incumbit, ſita eſt, probatio intra terminum et inſtituenda eſt, et offerenda iudici. Namque praeterlapſo termino vlterior probatio in cauſa quidem priuata, atque in foro eiusdem inſtantiae non admittitur, niſi beneficio reſtitutionis in integrum, quod ex cauſa inſtrumentorum nouiter repertorum, vel teſtium vſus fori haud difficulter indulget. vid. *cap.* 3. *de in integr. reſtit. arg. cap.* 4. *de except.*

§. DCCXXI.

De reprobatione ſpeciatim.

Reprobatio, vt in principio dixi, ad iura, defenſionemque partis pertinent; quae ſententia iudicis non iniungi quidem, ſed reſeruari poteſt, vtut etiam non reſeruata competat. Quid? quod, ne lites ſint infinitae, termino etiam circumſcribere eam iudex poſſit. Doctores fori eam faciunt duplicem, *directam* ſcilicet, qua directo contrarium probare quis nititur: et *indirectam*, quae dirigitur ad probanda facta, quibus ex indirecto aduerſarii probatio euerti poteſt. vid. *cap.* 9. *h. t.*

§. DCCXXII.

Probatio autem fit 1.) PER TESTES.

TESTIS eſt *perſona ad veritatem facti dictis ſuis euincendam idonea.* Enimuero idoneus ad fidem faciendam non eſt, niſi qui eſt HABILIS.

HABILIS autem teſtis eſt, qui et inſtructus ſufficiente facti cognitione, tali ſcilicet, quae eo corporis ſenſu obtinetur, cui factum, de quo res eſt, ſubiicitur: de quo praeſumi prudenter poteſt, fore, vt veritatem velit dicere.

§. DCCXXIII.

Habiles.

Alterutrum horum ſi deficiat, teſtem reddit inhabilem, quem tamen pro ratione circumſtantiarum admitti iura non prohibent. Iudicis tamen erit pro cauſae, et perſonae qualitate aeſtimare, quantum eius ſit auctoritati deferendum. vid. *cap.* 7. 24. *h. t. cap.* 3. *de probat. cap.* 5. *de teſtib. cogend.*

§. DCCXXIV.

Inhabiles ex iuris diſpoſitione.

Sed et ſunt, qui iure ipſo prohibentur eſſe teſtes, quo ex genere ſunt, 1.) *periuri*, 2.) *corrupti*, 3.) *iudaei* pro iudaeo contra chriſtianum, 4.) *infames*, eiusque delicti rei, ex quo infamia contrahitur. Quo fit, vt exceptio criminis opponi in hunc finem, et probari poſſit, vt a teſtimonio repellatur, ſaltem tamen iudicis arbitrio, ſi ad emendatam vitam redierit. vid. *cap.* 7. 13. 54. *cap.* 1. *de except. cap.* 2. *in fin. de ord. cog. cap.* 10. *de praeſumt.*

§. DCCXXV.

§. DCCXXV.

Recensentur.

Porro 5.) *haeretici* contra orthodoxos nequeunt esse testes, id quod ad religionum in Germania toleratarum consortes non pertinere certi iuris est, 6.) *laici* contra clericum in causa criminis, 7.) *nemo in causa propria*, 8.) *clerici* in causa ecclesiae, cui deseruiunt, 9.) *testes de familia, si modo veritas aliter haberi potest*, 10.) *procuratores* denique, et mediatores in negotiis eorum opera gestis. vid. *cap.* 6. 14. 20. 24. 39. *h. t. cap.* 1. *de haeret. cap.* 26. *de iureiur. cap.* 10. *de prob. cap.* 3. *h. t. in VI.*

§. DCCXXVI.

Ad plenam duo testes requiruntur.

Vt probatio per testes facta plena sit, duo saltim, iique habiles sint, necesse est, vt de facto ipso iidem, et ex scientia sufficienti deponant. vid. *cap.* 5. 10. *et* 23. *h. t.* Ex quo intelliges, plenam haud esse probationem, quae fit per testes singulares, quorum singuli de circumstantiis facti diuersis testantur. Neque eam, quae fit per testes de auditu, nisi naturae causa aliud exigat, nec denique vnius testis auctoritatem, quantauis illa sit, sufficientis probationis loco habendam esse. vid. *cap.* 5. 23. 28. 33. 47. *h. t. cap.* 23. 32. *de elect. cap.* 13. *de prob.*

§. DCCXXVII.

Vnusque regulariter non ſufficit.

Vnius teſtis auctoritatem non eſſe ſufficientem dixi: adde, niſi in cauſa ſpeciatim probata, veluti pro ſecuritate conſcientiae, in cauſa incidente, quae ad merita cauſae primariae haud pertinet, et ſi perſona publica deponat de his, quae officio eius continentur. vid. *cap.* 22. 47. *h. t. cap.* 12. *et* 27. *de ſponſal. cap.* 6. *de renunc.*

§. DCCXXVIII.

FORMA, *qua probatio per teſtes.*

In probatione per teſtes facienda ſeruanda eſt *forma* iure definita, in qua alia ſunt, quae ad eam *inſtituendam*, alia quae ad eam *abſoluendam* pertinent.

§. DCCXXIX.

a.) Inſtituitur.

Et inſtituenda quidem eſt exhibitis articulis *probatorialibus*, quibus ſpecialis teſtium denominatio adiungitur, et quoddam quaſi *directorium*, ſuper quibus articulis ſinguli eorum examinandi ſint. Accedit imploratio iudicis de recipienda probatione, decernendisque iis, quae ad teſtium productionem pertinent. vid. *cap.* 2. *h. t. in VI.*

§. DCCXXX.

§. DCCXXX.

Idem.

Animaduertendum autem est, omne, quod ad instituendam per testes probationem pertinet, iudici offerendum esse intra terminum probationi praefixum. Quod quidem intra tempus et articulos nouos prioribus addere, et testes alios producere licet, modo, si id quarta vice fiat, iuramentum calumniae speciale praestetur. vid. *cap.* 15. 37. *et* 55. *h. t.*

§. DCCXXXI.

b.) Absoluitur, exsplicatur.

Ad probationem porro absoluendam pertinet primo testium productio in foro eum in finem facta, vt testimonium perhibeant. In qua aliae sunt partes iudicis, aliae aduersarii. Iudex interponit decretum de admittenda probatione: productioni testium terminum praefigit: testes potestati suae subiectos, ipsumque producentem, ac partem aduersam citat: ac demum articulos sibi oblatos cum eadem parte aduersa communicat. vid. *cap.* 7. 37. *et* 41. *h. t.*

§. DCCXXXII.

Pertinent huc interrogatoria.

Partes aduersarii sunt aduersus tum articulos, tum testes saluo ceteroquin arbitrio con-

ſentiendi in teſtium productionem, reſeruatisque exceptionibus exhibere *interrogatoria*, quae ſunt quaeſtiones ad teſtes directae de iis, quae ad veritatem facti eruendam pertinent. vid. *cap.* 2. *et* 37. *h. t. cap.* 2. *eod. in VI.* Interrogatoria haec aut ſunt *ſpecialia*, quae ſingulis articulis reſpondent, aut *generalia*, atque haec quidem ſeu cauſam in ius deductam in genere reſpiciunt, ſeu ad perſonam teſtium, et habilitatem eorum referuntur.

§. DCCXXXIII.

Dein productio teſtium intra terminum.

Ad abſoluendam probationem ſecundo pertinet teſtium productio intra terminum praefixum, quos iudex praeſentibus partibus iureiurando obſtringit, niſi eius neceſſitas vtriusque partis conſenſu eis remittatur, id quod in cauſis priuati arbitrii fieri poſſe ſatis conſtat. vid. *cap.* 5. 39. *et* 51. *h. t.*

§. DCCXXXIV.

Porro eorum examen.

Huc pertinet demum *examen teſtium* a iudice ita inſtituendum, vt perſpicua, et categorica teſtium depoſitio obtineatur. Quem in finem examinandi ſunt teſtes ſinguli ſingillatim, remotis partibus tum quo ad articulos, tum etiam quo ad interrogatoria, quae pro ratione circumſtantiarum iudex quoque ex officio ſupplere poteſt. vid. *cap.* 37. 52. *et* 53. *h. t.*

§. DCCXXXV.

§. DCCXXXV.

Aliquando ſubſidiarium.

Quod ſi teſtes non ſint iurisdictioni iudicis, in cuius foro cauſa peragenda eſt, ſubiecti, implorandus eſt iudex de ſubſidiario eorum examine a iudice competente inſtituendo. Ex quo patet clericorum tanquam teſtium productorum examen in foro eccleſiaſtico requirendum eſſe.

§. DCCXXXVI.

Examine peracto fit rotulus teſtium.

Examine peracto depoſitiones teſtium auctoritate iudicis in rotulum ſunt redigendae, qui quidem *rotulus* nihil aliud eſt, quam inſtrumentum publicum; in quo depoſitiones teſtium ſingulis articulis, et interrogatoriis ſubiectae exhibentur.

§. DCCXXXVII.

Eius publicatio.

Conſequitur *rotuli publicatio* ad petitionem producentis facienda, qua is auctoritate publica ad vtriusque partis notitiam in termino eum in finem praeſtituto deducatur. vid. *cap.* 30. *h. t.*

§. DCCXXXVIII.

Eo publicato non licet nouos teſtes producere.

Rotulo legitime publicato, tum integrum eſt partibus de vi probationis, et reprobationis

nis in ſcriptis mutuis experiri. Neque enim fas eſt, publicatione hac ſemel facta nouos teſtes ſuper iisdem, aut his contrariis articulis ob metum ſubordinationis teſtium producere. vid. *cap.* 15. *et* 31. *h. t. clem.* 2. *eod.*

§. DCCXXXIX.

Nec reprobatio locum amplius habet.

Ex quo patet, reprobationem directe contrariam per teſtes ante rotuli publicationem inſtituendam eſſe; neque eam poſt terminum admitti, niſi qua iuſta cauſa viſa fuerit. vid. *cap.* 35. *in fin. h. t.*

§. DCCXL.

Niſi ſuper nouis articulis.

Quemadmodum autem inſtrumentorum productio etiam poſt publicationem rotuli ſemper ſalua eſt, ita etiam teſtes nouos producere ſuper *nouis articulis* licet. vid. *cap.* 9. *de fid. inſtrum. cap.* 17. 19. 25. *et* 35. *h. t.*

§. DCCXLI.

Teſtes ad teſtimonium ferendum cogi poſſunt.

Quoniam reipublicae intereſt lites iudicis auctoritate componi, ne ſint perpetuae: id autem fieri non poſſit; niſi de veritate rei conſtet, quae ſaepe occulta permaneret, niſi teſtium depoſitione in apricum produceretur, per-

perſpicua eſt ratio, ob quam teſtes etiam cogi poſſint ad ferendum teſtimonium, tametſi iureiurando ſeſe obſtrinxerint, in ea ſe cauſa teſtimonium non dicturos. vid. *cap.* 1. 3. 4. *et* 11. *h. t. cap.* 18. *de teſtib.*

Quae quidem publica vtilitas alterius etiam conſtitutionis ratio eſt, qua puniendos eſſe eos, qui quouis modo impedimento ſunt, quo minus teſtes poſſint dicere teſtimonium, ſancitum eſt. vid. *cap.* 37. *et* 46. *de teſtib.*

§. DCCXLII.

Id quo modo fiat, explicatur.

Modus autem coercendi teſtes hic eſt, vt *clerici* quidem ab officio primum, ac beneficio ſuſpendantur; poſt deinde, ſi ne tum reuocati legitime comparuerunt, excommunicati deponantur. vid. *cap.* 2. *h. t.* In *laicis* diſcrimen eſt inter *cauſas eccleſiaſticas*, et *ciuiles*. In cauſis enim ciuilibus carcere, aut poena pecuniaria, quin et in criminibus grauioribus tortura coercentur: in cauſis eccleſiaſticis vero diſtrictione eccleſiaſtica, ſeu excommunicatione. vid. *cap.* 1. 5. 9. *h. t.*

§. DCCXLIII.

Quidam cogi non poſſunt.

Cogi tamen ad teſtandum nequeunt confeſſarius ratione eorum, quae eidem ſub ſigillo confeſſionis relata ſunt: neque aduocatus ea indicare debet, quae clientis ſui fiducia didicit:

cit: nec denique consanguinei, si modo alia via ad rei veritatem liceat peruenire. vid. *cap.* 2. *de offic. iud. ord. cap.* 12. *de poenit.*

§. DCCXLIV.

Probatio fit 2.) PER INSTRVMENTA.

INSTRVMENTA sensu huic loco consentaneo accepta sunt *scripturae ad fidem de veritate facti faciendam idoneae.* Eaque vel *publica*, quae conficiuntur a personis publicis publica, quae sunt instructae auctoritate: vel *priuata*, quae a priuatis scripta, aut saltem subscripta sunt. vid. *cap.* 2. *h. t.*

§. DCCXLV.

a) Publica et quasi publica.

Publicorum instrumentorum varia sunt in iure nostro exempla passim obuia, ad quae referri debent *libri parochiales*, de actibus parochialibus legitimo modo conscripti. vid. *cap* 11. *de prob. cap.* 2. *de offic. iud. ord. in VI. cap.* 15. *h. t.* CONCIL. TRID. *sess. XXIV. de reform. cap.* 1. Instrumenta priuata publici instrumenti vim habentia, seu *quasi publica* dicuntur ea, quae subscripta sunt a duobus testibus, quorum testimonio veritas instrumenti sufficienter probari possit. vid. *cit. cap.* 2. *h. t.*

§. DCCXLVI.

§. DCCXLVI.

Quorum vis et effectus.

Instrumenti publici vis repetenda est a praesumtione iuris, quae ob auctoritatem publicam, quae in iis conficiendis interuenit, suspicionem omnem falsi arcet. Ex quo consequens, vt plene probet, nisi perspicue probari possit, rem in alium modum gestam fuisse, quam quidem literis consignata est. vid. *cap.* 2. *et* 10. *h. t. cap.* 13. *de praescript. cap.* 11. *de praesumt. cap.* 7. *de probat.*

§. DCCXLVII.

Exsplicantur.

Et vero si confectum est ad seruandam memoriam negotii inter priuatos gesti, inter hos vim habet plene probandi, tertio autem nihil praeiudicat, quum contra, si de negotio publicam vtilitatem concernente conditum est, aduersus quemcunque valet. vid. *leg.* 1. *et* 2. *cod. res inter alios acta, vel iudic. aliis non nocet.*

§. DCCXLVIII.

b) Priuata.

Ratio fidei, quam instrumentis priuatis adhibemus, in scriptione, aut subscriptione eius, de cuius obligatione quaeritur, continetur. Quapropter probat illud quidem contra scribentem, si causam debendi adiectam habet,

non

non autem pro eo, nisi ex antiquitate temporis, personae qualitate aut lege, vel consuetudine speciali vis ei quaedam probandi tributa sit. vid. *cap.* 9. 14. *h. t. cap.* 13. *de probat. cap.* 13. *de praescript.*

§. DCCXLIX.

Instrumenta debent esse a.) vera.

Probatio per instrumenta debet esse *legitima*, quae vt talis sit, constare necesse est primo, illud esse *verum*, non falsum, aut suppositititium: deinde vt producatur ex *authentico*, seu ex scriptura primigenia, ex qua obligatio originem ducit.

§. DCCL.

Quod in publicis praesumitur.

Et instrumentum quidem publicum verum esse iura praesumunt, si est rite confectum, manu publica subscriptum, vel sigillo publico genuino, et congruo munitum. vid. *cap.* 2. *et* 6. *h. t.* Veritas autem instrumenti priuati nititur recognitione eius, aduersus quem quis eo vtitur, aut testium auctoritate, qui ad eius confectionem adhibiti sunt. *cit. cap.* 2. *et* 6. *h. t.*

§. DCCLI.

Et in priuatis etiam, si in archiuum publicum sint translata.

Cuiuscunque autem generis instrumentum sit, ad praesumtionem de veritate eius magnopere

pere

pere pertinet, si in *archiuum publicum* custodiendum transferatur. Ex fide archiui publici praesumtionem de instrumenti veritate oriri dixi, non fidem documenti, quae aliis ex caussis pendet. vid. *cap.* 13. *de praescript.*

§. DCCLII.

Falsitas eorum vnde agnoscatur.

Quod si instrumentum esse falsum probatum fuerit, vis eius omnis corruit. Falsitas autem eius ex rasura in loco suspecto: ex sigillo minus congruo: ex chartae, et scripturae genere, aliisque pluribusque indiciis argui potest. vid. *cap.* 4. 6. 10. *h. t. cap.* 9. *de crim. falsi. cap.* 14. *de priuil. cap.* 7. *de domib. relig.*

§. DCCLIII.

b.) Authentica.

Illud etiam monui superius, probationem ex instrumento authentico ducendam esse. Exemplum enim ex eo descriptum nihil probat, nisi tam de integritate authentici, quam exempli cum hoc conuenientia sufficienter constet. De qua si iudicis auctoritate constat, exemplum vim authentici nanciscitur. vid. *cap.* 1. 2. *et vlt. h. t. cap.* 4. *de confirm. vtil.*

§. DCCLIV.

Haec probatio debet porro a.) rite institui.

Porro probatio per instrumenta et *instituenda* est legitime, et *absoluenda.* Illud fit, si in-

ftituatur intra tempus probationi praefcriptum, quod quidem, fi a iudice aliud nihil eft decretum, patet, vfque ad conclufionem in caufa fe fe extendere; poft hanc enim probatio non admittitur, nifi ob inftrumenta nouiter reperta. vid. *cap.* 9. *h. t. cap.* 4. *de except.*

§. DCCLV.

Quo referas inftrumentorum editionem.

Quod fi quis ea non poffideat, editio eorundem eft petenda. Et actor quidem omnia documenta, quibus in iudicio vfurus eft: Reus vero non nifi communia, aut actoris propria; fua vero ad inftruendam actionem edere non tenetur, nifi actor priuilegio gaudeat. vid. *cap*. 4. 5. 12. *h. t. cap.* 4. *de teftib. cogend.*

Sunt, qui ecclefiae agenti ius tribuunt exigendi a reo omnium documentorum editionem REIFFENSTVEL. *h. t. n.* 251. quod nifi priuilegio perfpicuo imperantis cuiusque regionis, et ab adlegante probando nitatur, ego ex notiffimis iuris principiis non admiferim.

§. DCCLVI.

b) Rite abfolui.

Vt probatio per inftrumenta etiam legitime abfoluatur, neceffe eft, vt producantur inftrumenta in termino a iudice praefinito: vt fi priuata fint, recognofcantur ab aduerfario, qui quidem faluis exceptionibus ea recognofcere tenetur, nifi diffiteri ea, id eft, veritatem eorum praeftito iureiurando negare velit.

§. DCCLVII.

§. DCCLVII.

Idem.

Denique ad abſoluendum hoc genus probationis pertinet deductio eorum, quae probanda ſunt ex inſtrumentis, eorumque eleuatio per oppoſitas exceptiones: de quibus late ii, qui vſum iuris forenſem docent.

§. DCCLVIII.

Probatio fit 3.) PER IVSIVRANDVM.

Probatio de veritate eorum, quae quis in iudicio adſerit, etiam per iusiurandum fieri poteſt, quod adſertorium iudiciale vocatur. Eſt autem IVSIVRANDVM *generatim adſeueratio religioſa, qua quis ad vindictam diuinam prouocat ſub conditione, ſi ſciens falſum dixerit.*

§. DCCLIX.

Adſertorium.

Eſt illud aut *promiſſorium*, aut *adſertorium*. Ac de huius quidem illa ſpecie, quae litis deciſionem ſpectat, praecipue hoc loco agendum eſt. Eſt enim hoc *iusiurandum maximum expediendarum litium remedium*, quo vel ex conuentione ipſorum litigantium, vel ex auctoritate iudicis controuerſiae deciduntur. vid. *leg.* 1. *D. de iureiur.*

§. DCCLX.

Iudiciale et extraiudiciale.

Quando pars declarat, ſe velle a parte aduerſa de facti controuerſi veritate iusiurandum praeſtari, hoc ei *deferre* dicitur. Quod quum fieri poſſit aut extra iudicium per modum conuentionis, aut in iudicio, intercedente decreto iudicis: illud *extraiudiciale*, hoc autem *iudiciale* vocant. Neceſſarium quod ſit, deinceps dicam.

§. DCCLXI.

Vtrumque vim transactionis habet.

Vtrumque vim habet transactionis. Quapropter vnicuique parti, cui onus probandi incumbit, integrum eſt parti aduerſae iuramentum deferre, modo liberam de cauſa controuerſa tranſigendi habeat facultatem, et calumniandi animus abſit, quo nomine iuramentum calumniae a deferente exigi poteſt. Enimuero procurator non niſi ex ſpeciali mandato illud defert. *cap. 4. de procurat. in VI.*

§. DCCLXII.

Deferri poteſt cuicumque parti litiganti.

Deferri poteſt parti aduerſae cuicunque adeo, vt nec perſona eccleſiaſtica, nec vniuerſitates, quibuscum in iudicio conſiſtitur, excipiendas eſſe conſtet. Non autem recte defer-

tur

tur extraneo, ad quem lis omnino non pertinet. vid. *cap.* 26. *cap. vlt.* *ſſ*. 1. *h. t.*

§. DCCLXIII.

In cauſis omnibus.

Porro deferri poteſt in omni cauſa priuatorum arbitrio obnoxia, non modo de factis honeſtis, ſed et illicitis, quando ex his ciuiliter agitur, nec non in cauſis eccleſiaſticis, quae iure priuatorum continentur. Contra ea in cauſis, de quibus tranſigere non licet, nec iuramento huic locus eſt. Quo fit, vt quum de diſſolutione matrimonii agitur, id non admittatur. *vid. cap.* 10. *de transact. cap.* 7. *de ſent. et re iud.*

§. DCCLXIV.

Intra terminum tamen probationi praefixum.

Ceterum quia iuramentum iudiciale ſpecies probationis eſt, ſed in commodum partium ſubſidiariae, rationem perſpicuam reddideris, cur intra legitimum probationis terminum ſit deferendum, et cur elapſo etiam termino probatorio admittatur, ſi pars eo vti velit ex cauſa, quod probationes adhibitas parum eſſe ſufficientes experiatur.

§. DCCLXV.

Delatum est acceptandum, aut referendum.

Iuramentum iudiciale legitime delatum, et decreto iudicis probatum pars aduersa *acceptare*, aut *referre* debet, nisi probationem pro exoneranda conscientia suscipere velit, id quod ex vsu fori liquet.

§. DCCLXVI.

Relatum est praecise praestandum.

Referri iuramentum potest in omnibus caussis, quarum habere notitiam aduersarium satis constat. Atque relatum quidem iuramentum omnino et acceptandum, et praestandum est adeo, vt a referente nec iuramentum calumniae exigi possit. vid. *cap. vlt. h. t.*

§. DCCLXVII.

Iuramenti suppletorii et purgatorii.

Hactenus de iuramento iudiciali. *Necessarium* est, *quod deficiente probatione ad caussam decidendam sufficiente alterutri parti a iudice defertur.* Partitio eius est in *suppletorium*, et *purgatorium*. *Illud* iniungitur ad perficiendam imperfectam probationem, veluti si semiplena sit, aut hac maior. *Hoc* autem defertur ad elidendas praesumtiones ex probatione semiplena minore alterius partis emergentes. vid. *cap. vlt. h. t.*

§. DCCLXVIII.

In defectu alterius probationis iniungendi.

Quoniam iuramento necessario locus est, quum sufficiens probatio deficit, haud sine temeritate defertur ei, qui veritatem facti plene probauit. Quid ? quod nunquam nisi perspectis rite, et expensis tum personae, tum caussae circumstantiis decernendum sit. vid. *cap. 2. de prob. cap. 34. et cap. vlt. h. t.*

§. DCCLXIX.

Effectus traditur.

Effectus alterutrius praestiti est, quod secundum id lis dirimatur. Quod si per contumaciam is, cui delatum est, recuset, aduersus eum pro vero habetur id, ratione cuius iurandum fuerat. vid. *cap. 7. et 15. de purgat. canon.*

§. DCCLXX.

Iuramentum promissorium.

Reliquum est, vt de *iuramento promissorio* pauca moneam. Est autem hoc, *quo vel promittitur aliquid, vel quod debetur, confirmatur.* Ex quo patet, iuramento, promissorio semper inesse promissionem, aut pactum religione firmatum.

§. DCCLXXI.

Nullum est, si promissio sit inualida.

Controuerti solet, quam vim iuramentum habeat, si pactum, cui adiicitur, iure non consistat. Qua in quaestione mihi videtur statuendum: nullam esse iurisiurandi vim, quum promissio ita comparata est, vt ea ipso iure nulla sit. Ex quo consequens est, vt iusiurandum nullum sit eius, qui rationis vsu destituitur: qui promittit rem seu physice, seu moraliter impossibilem: quod dolo elicitum, aut bonis moribus, religioni, aut pietati repugnat. Nec illud denique, quod est praestitum in praeiudicium seu priuati alicuius, seu reipublicae. vid. *cap.* 26. *et* 28. *h. t. caus. XXII. q. IV. can.* 5. *et* 8. *et q. V, can.* 18. *seq.*

§. DCCLXXII.

Alias semper vim suam exercet.

Quod si autem nihil horum est, quae ipsam in se promissionem iuri contrariam redderent: seruandum esse iusiurandum arbitror, tametsi promissio ita fortasse comparata sit, vt ex ea efficax actio in foro ciuili non nascatur. vid. *cap.* 28. *h. t. et cap.* 2. *h. t. in VI. cap.* 2. *de pact. ibid.*

§. DCCLXXIII.

Et naturam actus, cui adiectum est, sequitur.

Postremo ex notione iuramenti *accessorii* perspicuum esse arbitror, in ceteris sequi id na-

naturam conuentionis, cui accedit; atque adeo corruere obligationem inde ortam ſublata pro vtroque foro obligatione principali. Ex eadem ratione neque conditiones tollit conuentioni principali tacite ſubeſſe ſolitas.

§. DCCLXXIV.

Eius obligatio abſolutione tolli poteſt.

Vinculum huius iurisiurandi iure canonico ceſſare etiam tradunt *abſolutione.* Quam quidem pontificis poteſtatem, dum iuſta ſubeſt cauſa canonibus conciliorum vniuerſalium probata, in dubium vocare mihi religio eſt. At eam abſoluendi poteſtatem ita eſſe amplam, vt pro eiusdem arbitrio concedi poſſit, aut ſubditi etiam, et vaſalli ab obedientiae, et fidelitatis praeſtatione liberi declarentur, id eſſe puto iuri non minus diuino, quam veteris eccleſiae traditioni contrarium.

§. DCCLXXV.

Iuramentum calumniae.

Iuramentum calumniae eſt, *quo litigans bona fide litigaturum, et ab omni fraude, et fruſtratione ſe alienum eſſe adſeuerat.* Eſtque *generale*, quod intuitu totius iudicii, *vel ſpeciale*, quod ratione certi actus in iudicio expediendi praeſtari debet.

§. DCCLXXVI.

a.) Generale, id quod ab omnibus.

Ad euitandam in iudicio calumniam, qua nihil eſt magis odioſum, iuramentum calumniae generale omnibus in iudicio contendentibus praeceptum eſt, nulla nec perſonarum, nec cauſarum habita ratione. Et quamquam iure canonico clerici non iurarent, nec in cauſis eccleſiaſticis hac adſeueratione vterentur, vtrumque tamen dein mutatum eſt. vid. *l.* 2. *cod. de iureiur. propt. calum. cap.* 4. 5. 7. *h. t. cap.* 2. *h. t. iunct. cap.* 1. *ʃʃ. vlt. eod. in VI.*

§. DCCXXVII.

In omni iudicio.

Nihil quoque ratione huius intereſt ordinarium ſit, an ſummarium iudicium, poteſtque illud iudex in omni parte iudicii exigere adeo, vt remiſſio a partibus expreſſe facta nullius ſit roboris. Quod ſi tamen id neque iudice, neque parte exigente, praeſtitum non ſit, iudicium ea de cauſa nullum non eſt. *clem.* 2. *de verb. ſignif. cap.* 1. *h. t. in VI. l.* 2. *ʃʃ.* 4. *cod. de iureiur. propter calumn.*

§. DCCLXXVIII.

Neceſſario eſt praeſtandum.

Quod ſi is, cui per ſententiam eius praeſtatio iniuncta eſt, non iuret, poena haec eſt,

vt

vt ſi actor fuerit, actione cadat, ſi reus, pro confeſſo habeatur. Procuratores, et ſyndici, qui iurare renuunt, poſtulare ſunt prohibendi. vid. *cap. 7. §. 1. h. t.*

§. DCCLXXIX.

b.) Speciale.

Enimuero iuramentum calumniae ſpeciale, ſeu *malitiae* iure communi praeceptum non eſſe ſatis conſtat. Litigantibus tamen ius eſt, id cum conſenſu iudicis ſibi mutuo deferendi. Quid, quod et iudex, quoties ei iuſta cauſa ſubeſſe viſum fuerit, id exigendi poteſtatem habet. vid. *l. 34. §. 4. D. de iureiur. cap. 2. §. 2. h. t. in VI.* REC. IMP. *de anno* 1654. §. 43.

§. DCCLXXX.

Exigi ſemper poteſt.

Poteſt autem exigi in omnibus actibus iudicii ſiue iure determinatis, ſiue non determinatis, in quibus probabilis exiſtit calumniae ſuſpicio, iudicis arbitrio aeſtimanda. Exactum a iudice, aut ab eo probatum, ſi non praeſtetur, commodo eius actus priuatur renuens, propter quem iurandum fuit. vid. *cap. 55. de teſtib. cap. 4. de except. cap. 6. qui matrim. adcuſ. poſſ. cap. 2. h. t.*

§. DCCLXXXI.

Vtrumque etiam per procuratorem praeſtari poteſt.

Poſtremo nihil impedit, quin vtrumque etiam per procuratorem praeſtetur, modo ſpeciali ad id mandato inſtructum vniuerſitas per ſyndicum notitia rei non deſtitutum iurat, quem tamen in animam propriam iurare oportet. vid. *cap.* 3. *h. t. cap. vlt. eod. in VI.*

§. DCCLXXXII.

Probatio ſit 4.) PER PRAESVMPTIONES.

Saepe in veritate facti inquirenda PRAESVMTIONI etiam locus eſſe poteſt, *quae eſt adſertio facti ex argumentis probabilibus inducta.* Quae quidem *praeſumtio*, ſi lege ipſa inducta eſt, *iuris*; ſi lege non nititur, *hominis* praeſumtio dicitur. Vtraque quam vim habeat in probando, videamus.

§. DCCLXXXIII.

a.) Iuris tantum.

De praeſumtione iuris haec eſto regula: quidquid ex praeſumtione iuris adfirmatur, aut negatur, id tamdiu pro vero habendum eſt, quam diu contrarium perſpicue probatum non fuerit. vid. *cap.* 12. *et* 16. *h. t. cap.* 3. *de presbyt. non bap.*

§. DCCLXXXIV.

§. DCCLXXXIV.

b.) Iuris et de iure.

Eſt autem alia quoque praeſumtionis iuris ſpecies, quam *iuris, et de iure* vocant, de qua hanc tenemus regulam: praeſumtio iuris, et de iure a lege ita eſt determinata, vt ſecundum eam cauſa ſimpliciter ſit dirimenda. Quare haec probationem in contrarium non admittit. *cap.* 10. *de ſent. et re iud. cap.* 30. *de ſponſal. cap.* 6. *de condit: adpoſ. in deſponſ.*

§. DCCLXXXV.

De praeſumtione hominis.

Praeſumtiones demum hominis ad probationem artificialem inſtruendam pertinent, quarum adeo vis ex gradu probabilitatis: qualitate cauſarum, et concurſu aliarum praeſumtionum, quibus ea aut confirmatur, aut eliditur, aeſtimanda eſt. *vid. cap.* 10. 11. *et* 12. *h. t.*

Vid. HEINECC. PANDECT. *lib. XII. tit. II. et III. lib. XXII. tit. III. et IV. et V. lib. XLII. tit. II.*

TITVLVS XXVII.

DE SENTENTIA, ET RE IVDICATA.

§. DCCLXXXVI.

Connexio.

Poſtquam diſceptatio cauſae ſecundum ordinem iuris peracta eſt, id quod partes litigantes

tes ipſa concluſione in cauſa ſatis declarant, res redit ad *cognitionem* iudicis, atque *deciſionem.*

§. DCCXXXVII.

SENTENTIA.

Deciſio haec fit per SENTENTIAM *iudicis.* Haec vero eſt *pronunciatio iudicis, quae cauſae litigioſae in iudicio diſceptatae deciſionem continet.* Omnino igitur ſententia cauſa demum cognita ferenda eſt: ſiue ea ſit *definitiua,* qua cauſa principalis in iudicium deducta deciditur, ſiue *interlocutoria,* quae continet deciſionem cauſae incidentis in iudicio motae vid. *cap.* 3. 5. *h. t. in VI. cauſ. XXX. q. V can.* 11. *clem.* 2. *de V. S. cap.* 12. *de adpellat. in VI. cap.* 18. *h. t.*

Enimuero INTERLOCVTIONEM *generatim* finire poſſis *pronunciationem iudicis, quae determinat. e. g. quae ad iudicialem cauſae diſceptationem pertinent.* Quam quidem, ſi per modum ſententiae cauſa cognita feratur, *mixtam* vocant: quae formam ſententiae non continet, *meram,* et hanc ab eodem iudice corrigi poſſe, atque emendari tradunt interpretes. vid. *cap.*60. *de adpellat. l.* 14. *D. de re iudic.*

§. DCCXXXVIII.

A iudice competente eſt ferenda.

Vt *ſententia* vim ſuam inter partes litigantes obtineat, *ferenda eſt a iudice,* atque eo quidem *competente.* Namque lata a iudice non ſuo, nullius momenti eſt, niſi ex vi proroga-

rogatae iurisdictionis. vid. *cap. 4. de iudic. cap. 3. de consuet. cap. 29. de offic. et pot. iud. deleg.*

§. DCCXXXIX.

Si plures sint, per maiora.

Quod *si plures sunt iudices*, ferenda est sententia secundum suffragia *maiora*. In *pari* suffragiorum *numero* discrimen est inter iudices ordinarios, et delegatos. Quum enim inter iudices *ordinarios* par est in vtramque sententiam suffragantium numerus, pro reo lata sententia praeualet, nisi fauor causae aliud suadeat: in iudicio autem *delegato* ea, quam delegans confirmauerit. vid. *cap. vlt. h. t.*

§. DCCXC.

Debet esse actis, et iuri conformis.

Lis in iudicium deducta, atque disceptata lata sententia est decidenda. Est igitur perspicuum, eam esse debere *actis*, *probatisque conformem* Quibus si aduersetur, atque adeo iuri litigantis repugnet, iniqua est, et licet stricto iure subsistat, impugnari tamen variis remediis potest. Quod si contra ius expressum lata est, vi ipsius legis nulla est. vid. *cap. 1. et 13. h. t. cap. 64. de reg. iur. in VI.*

§. DCCXCI.

Certa ac determinata.

Porro ipsa decisionis notio facile cuique persuadet, eam esse debere *certam*, ac *determinatam*. Quare sententia *definitiua* omnis *aut absoluit*, *aut condemnat*; rationes autem sententiae a se latae iudex eidem inserere non cogitur, nisi iusta causa aliud suadeat vid. *cap.* 16. *et* 18. *h. t. cap.* 18. *de praescript cap.* 2. *de capell. monach. cap* 15. *de V. S. cap.* 10. *de fid. instrum. cap.* 14. *de priuil.*

§. DCCXCII.

Rite concipi et publicari debet.

Est deinde sententia *in scriptis concipienda*, *ac legitime publicanda.* Quamquam enim in iudicio summario insinuatio sententiae partibus facta pro publicatione sit, non tamen in ordinario, sed publicatio eius facienda auctoritate iudicis in consessu iudicii ex scriptis, citatis ad eum actum partibus. vid. *cap. vlt. h. t. in VI. clem.* 2. *de V. S.*

§. DCCXCIII.

Res Iudicata.

Res iudicata est lis sententia iudicis ita decisa, vt inter partes vim legis obtineat Hanc autem vim nanciscitur sententia partim ex aucto-

auctoritate ius dicentis, partim ex consensu partium seu *expresso*, seu *tacito*, qui colligitur ex eo, quod intra tempus, quo id facere eis licuit, sententiam non impugnauerint. vid. *cap*. 15. *h. t.*

§. DCCXCIV.

Vim legis habet.

Quod si itaque sententia seruato iuris ordine lata sit, ac publicata, nec intra legitimum tempus a partibus impugnata, in rem iudicatam abit, cuius ea vis est, vt pro veritate habeatur, ac proinde impugnari, aut lis praetextu instrumentorum nouitur repertorum instaurari nequeat, nisi ope restitutionis in integrum. vid. *cap*. 13. 15. *h. t. cap*. 5. *et* 6. *de in integr. restit. cap*. 1. *eod. in VI.*

§. DCCXCV.

Inter partes.

Ius autem res iudicata duntaxat inter partes facit: inter alios enim vim iuris non habet, nisi specialis ratio intercedat, seu, quod ex aliorum etiam consensu lis acta est, seu quod alius causam habeat ab alterutro litigantium. vid. *cap*. 20. *et* 25. *de praeb.*

§. DCCXCVI.

Sententia nulla non transit in rem iudicatam.

Sed ex his perspicuum est, vim rei iudicatae non consequi *sententiam nullam*, qualis est 1.) a iudice non competente, 2.) contra ius expressum, 3.) contra rem iudicatam, aut 4.) ex falsis instrumentis lata: neque eam, quae lata est, 5.) iuris ordine non seruato, 6.) quaeue legitime publicata non est, multoque etiam minus, 7.) eam, quae ne quidem rationem sententiae habet, quo ex genere sunt mandata, decreta, merae interlocutiones. vid. *cap.* 19. 20. *et* 22. *h. t. cap.* 6. *de except. cap.* 9. *de testib. cap.* 2. *vt lit. non contest. cap.* 60. *de adpellat.* REC. IMP. *de an.* 1654. *§§.* 122. *et* 123.

§. DCCXCVII.

Bene vero sententia contra ius partis lata.

Quandoquidem vis rei iudicatae ex consensu partium seu expresso, seu tacito suo modo dependeat, non est dubium, quin etiam sententia iniqua, et contra ius partis lata in rem iudicatum abeat, si modo in causa eiuscemodi lata sit, in qua partes iniquae decisioni suo se consensu submittere possint. vid. *cap.* 13. *h. t.* Ex quo principio consequens est, vt in rem iudicatam non abeat sententia condemnatoria in causis criminalibus, nec sententia, qua matrimonium ex errore falsae causae diri-

dirimitur, aut absolute prohibitum ex errore facti pro valido declaratur. vid. *cap.* 7. 10. *et* 11. *h. t.*

§. DCCXCVIII.

EXECVTIO *sententiae.*

EXECVTIO REI IVDICATAE est *actus, quo res iudicata, cui parere condemnatus non vult, iudicis auctoritate per media coactiua in actum deducitur.* Hinc patet, executioni locum non esse nisi posita re iudicata: eam esse peragendam iudicis auctoritate, decernendamque ad *instantiam*, vt aiunt, *actoris*, praefixo congruo termino, ita tamen, vt ius sit tertio, cum cuius laesione coniuncta foret executio, interueniendi. vid *cap.* 15. *et* 17. *h. t.*

§. DCCXCIX.

A iudice ordinario facienda.

Facienda est executio auctoritate iudicis eius, qui sententiam tulit, si is est iudex ordinarius; namque iudex delegatus eam facere nequit, nisi executio quoque demandata sit, et delegantis auctoritate fiat. vid. *cap.* 1. *ʃʃ.* 3. *de foro compet. cap.* 7. 9. 26. 28. *de offic. et pot. iud. deleg.*

§. DCCC.

Executio alia est principalis.

Executio principalis est quam iudex peragit vi iurisdictionis sibi competentis, siue eam *immediate* ipse peragat, siue *mediate* per executorem delegatum, qua quidem delegandi facultate iudicia superiora gaudent. vid. *cap.* 5. *h. t.* Ex quo patet, *executorem nudum* eum esse, cui solus executionis actus delegatur, quippe ideo facultate cognoscendi destitutus exceptiones oppositas ad delegantem referre debet.

§. DCCCI.

Subsidiaria alia.

Cui opposita *executio subsidiaria* est, quam iudex requisito alio iudice peragit, cui condemnatus, aut saltem eius bona subsunt. Et vero quum haec ad exercendam iustitiam pertineat, denegari sine temeritate non potest. vid. REC. IMP. *de anno* 1654. §. 160. Ceterum executor ille subsidiarius, quoniam executionem suscipiat vi requisitionis, fines eius egredi, et de exceptionibus, quae sententiae ipsi opponuntur, cognoscere nequit, quamuis nihil prohibeat, quin iudicet de exceptionibus, quibus mandata ei executio impugnatur. vid. *cap.* 28. §. 3. *de offi. et pot. iud. deleg.*

§. DCCCII.

§. DCCCII.

Cuius ſpecies eſt imploratio brachii ſecularis.

Subſidiariae huius executionis ſpecies quaedam eſt *imploratio brachii ſecularis*, qua iudicis ſecularis auxilium iudex eccleſiaſticus contra refractarios requirit. vid. *cap.* 14. *de offi. iud. ord. cap.* 10. *de iudic.*

Vid. HEINECCII PANDECT. LIB. *XLII. Tit. I.*

TITVLVS XXVIII.

DE ADPELLATIONIBVS, RECVSATIONIBVS ET RELATIONIBVS.

TITVLVS XXIX.

DE CLERICIS PEREGRINANTIBVS.

TITVLVS XXX.

DE CONFIRMATIONE VTILI VEL INVTILI.

§. DCCCIII.

Deſcribitur adpellatio.

Quidquid aduerſus ius alterius ſuſcipitur, eſt grauamen. Poteſt igitur non modo per ſen-

tentiam, ſed et per decretum, aut alium quemcunque procedendi modum alicui grauamen inferri, cuius tollendi cauſa inducta eſt adpellatio. Eſt autem adpellatio remedium iuris, quo iudex immediate ſuperior imploratur, vt grauamen a iudice inferiore latum tollat.

§. DCCCIV.

Quae eſt remedium iuris deuolutiuum, et ſuſpenſiuum.

Quoniam per adpellationem cognitio de grauamine ad iudicem ſuperiorem defertur, eſt remedium deuolutiuum: et quia hoc ipſo vim ſententiae, aut decreti interim ſuſpendi neceſſe eſt, donec ſuperior de grauamine cognouerit, eſt etiam remedium ſuſpenſiuum.

§. DCCCV.

Diuiditur in iudicialem et extraiudicialem.

Iuris canonici principia ſi ſpectes, duo ſunt genera adpellationum. Eſt enim alia *iudicialis*, quae datur ob grauamen per ſententiam illatum, ſiue ea ſit definitiua, ſiue interlocutoria: alia *extraiudicialis*, cui locus eſt ob grauamen alia ratione, quam per ſententiam a iudice inferiore illatum. Veluti quum datur aduerſus ſimplicem interlocutionem, decreta, et mandata iudicis, aut ob non ſeruatum in procedendo, et exequendo ordinem

iuris.

iuris, vid. *cap.* 12. *h. t. cap.* 1. *et* 3. *h, t. in VI. clem.* 5. *h. t.*

Extraiudiciales hae adpellationes, quum in abusum non mediocrem abierint, cauerunt Patres CONCILII TRIDENTINI, ne adpellationes interpositae per superiores quoscunque recipiantur, . . . nisi a definitiua vel definitiuae vim habente, et cuius grauamen per adpellationem a definitiua reparari nequeat. CONCIL. TRID. *sess.* 24. *cap.* 20. *de reform.*

§. DCCCVI.

Causa adpellationis est grauamen a iudice inferiore illatum.

Causa adpellationis est grauamen a iudice inferiore illatum, quod probabili saltem ratione probari possit. Adpellare igitur potest omnis grauatus, etiam qui per sententiam indirecte laesus est, nisi qua speciali ex causa cesset, veluti ob renunciationem adpellationis: ob contumaciam rei veram, et ob id, quod abesse grauamen praesumatur ab eo, qui aut confessus, aut ita conuictus est, vt nonnisi proferendi iudicii causa eum adpellasse adpareat. vid. *cap.* 38. *et* 70. *h. t. cap.* 21. 14. 28. 61. *eod.*

§. DCCCVII.

Non tantum praesens, sed et futurum.

Datur etiam adpellatio ob grauamen non tantum praesens, sed etiam futurum, modo

in certa caufa probabiliter imminens: non autem fi perfpicue pateat grauamen fundamento deftitui, grauato iuris praefumtio aduerfetur, vti eft ob tres conformes fententias. Multo autem magis fublato grauamine adpellationem tolli neceffe eft. vid. *cap.* 18. *h. t. cap.* 60. 61. 65. *eod. cap.* 5. *eod. in VI.*

§. DCCCVIII.

In omni caufa ciuili et ecclefiaftica.

Porro locus eft adpellationi in omni caufa non magis feculari, quam ecclefiaftica, ciuili, quam criminali, in qua quis fe grauatum fuiffe conqueri poteft; modo non aduerfetur rei iudicatae auctoritas, nec adpellandi facultas ex caufa legibus determinata, aut reftricta fit, aut omnino fublata. vid. *cap.* 11. *et* 43. *h. t. cap.* 15. *de fent. et re iud.*

§. DCCCIX.

Nifi reftrictio probetur.

Reftricta enim eft in caufis, quae moram non ferunt hactenus, vt admittatur duntaxat quo ad effectum deuolutiuum. Deinde nihil etiam impedit, quo minus in certa lite per refcriptum principis, aut in certis caufis lege ex iufta caufa circumfcribatur; quo ex genere funt caufae fummam adpellabilem non adaequantes, et quae ad correctionem difciplina-

rem

rem pertinent, nisi et in hac modus non seruetur. vid. *cap.* 3. 15. 26. 32. 71. *h. t.*

§. DCCCX.

Adpellatio fit a iudice inferiore ad superiorem.

Adpellatio fit a iudice inferiore ad iudicem superiorem, cui is immediate subiectus est. Hinc illa, quae fit per saltum, est illicita, ne alteri beneficium intermediae instantiae intercipiatur. Quamuis igitur non sit nulla, ad iudicem tamen intermedium remittenda est.

§. DCCCXI.

Cuius interpositio fieri debet in vel extra iudicium.

Interpositio adpellationis fit per legitimam declarationem, quod quis adpellatione ad superiorem vsurus sit. Fieri haec declaratio potest vel in iudicio primae instantiae per declarationem ad acta, aut per schedulam adpellationis; vel extra iudicium coram notario, et testibus. vid. *cap.* 9. *h. t. in VI. cap.* 34. Ordin. Camer. *P. II. tit.* 29. *§.* 5.

Iure decretalium adpellatio non modo verbis interponi poterat, sed et facto, quod tum euenit, cuum grauatus intra decendium iter romam suscepisset, quo casu iudici inferiori iam in causa procedere non licet. vid. *cap.* 9. *de adpellat. cap. vnic. de cler. peregrin.*

§. DCCCXII.

Intra legitimum tempus.

Quod ad tempus pertinet, adſtricta eſt adpellatio ad decendium, quod litiganti a momento publicatae ſententiae, aut inſinuati decreti tertio a die ſcientiae currit. vid. *cap.* 15. *de ſent. et re iud. cap.* 8. *h. t. in VI.*

§. DCCCXIII.

De qua rite facta iudici ſuperiori fides fieri debet.

Interpoſita ita adpellatione intra 30. dies inſtanter, et ſaepius petere Apoſtolos debet adpellans, quibus iudici ſuperiori de adpellatione rite interpoſita fides fiat. vid. *cap.* 1. *h. t. in VI. clem.* 2. *eod.* CONCIL. TRID. *ſeſſ.* XXIV. *cap.* 20. *de reform.* Quemadmodum enim iudice a quo eos ſine iuſta cauſa denegante ſaluum ei manet ius proſequendi adpellationem: ita deſerta habetur adpellatio, ſi aut petere Apoſtolos neglexerit, aut in termino, quem iudex conſtituit, non comparuerit. vid. *cap.* 1. *et* 4. *h. t. in VI. clem.* 2. *§.* 1. *eod.*

§. DCCCXIV.

Varia in introductione.

Introductio adpellationis eſt ipſa imploratio ad iudicem ſuperiorem directa de recipienda

da adpellatione. Ea fit interpoſita ſupplica, quam vocant., adiecto libello grauaminum. Fatale introducendae adpellationis iure canonico definitum non eſt. vid. *cap.* 5. *cap.* 33. 44. *et* 61. *h. t.*

§. DCCCXV.

Receptione.

Ante receptionem adpellationis cauſae fit cognitio, quae in examinando tam formali adpellationis, quam materiali verſatur. Qua receptione directa conſequitur partis aduerſae citatio; decernuntur litterae tum compulſoriales, quibus iudici a quo transmiſſio actorum prioris inſtantiae iniungitur; tum inhibitoriales, quibus eidem inhibetur, ne porro in cauſa procedat. vid. *cap.* 38. *h. t.*

§. DCCCXVI.

Et iuſtificatione adpellationis obſeruari debent.

Receptionem proxime conſequitur iuſtificatio receptae adpellationis, quae fit probando rite fuiſſe obſeruata adpellationis formalia, tum etiam grauamina, propter quae adpellatum eſt, deducendo. De quibus inſtituta coram iudice adpellationis diſceptatio, iudicium adpellationis dicitur.

§. DCCCXVII.

Deinde incipit iudicium adpellationis, in quo caussa reducitur ad statum litis contestatae.

In quo iudicio hoc seruant principium: caussam principalem, de qua adpellatum est, reduci ad statum litis contestatae. Vnde in adpellatione iudiciali vtrique parti, praestito prius iureiurando calumniae speciali, conceditur beneficium non probata probandi, et non deducta deducendi, demto eo, quod noua probatio per testes super iisdem, aut contrariis articulis, nisi ex iusta caussa non admittatur. vid. *cap.* 5. *h. t. clem.* 2. *de testib.*

§. DCCCXVIII.

Et iudicis superioris est caussam lata sententia dirimere reformando vel confirmando priorem.

Peracto iudicio adpellationis iudicis superioris est, caussam lata sententia dirimere. Quae si confirmatoria est, caussa ad iudicem primae instantiae eius aut exequendae, aut vlterius cognoscendae caussa remittitur. Sin vero reformatoria est, ipse iudex superior eius executionem decernere, et, si in caussa incidente adpellatum, etiam caussae principalis cognitionem suscipere potest. vid. *cap.* 59. *et* 61. *h. t. cap.* 5. *eod. in VI.*

§. DCCCXIX.

Tollitur adpellatio desertione vel renunciatione.

Tollitur adpellatio desertione, aut renunciatione, et sententia iudicis inferioris vim rei iudicatae nanciscitur. Quo facto iudex ad quem nec de grauamine vtpote sublato, nec de reliqua causa quippe non deuoluta cognoscere potest. vid. *cap.* 60. *h. t. clem.* 6. *eod.* exceptionem vide in *cap.* 1. *h. t. in VI.*

§. DCCCXX.

Committitur adtentatum.

Quidquid post interpositam adpellationem in praeiudicium litis ad iudicis superioris cognitionem iam pertinentis suscipitur, adtentatum est. Quod ad preces adpellantis continuo reuocandum a iudice adpellationis. vid. *cap.* 54. *et* 62. *h. t. cap.* 19. *de iud. cap.* 12. *de rescript.*

§. DCCCXXI.

Si quid medio sententiam inter et adpellationem tempore innouetur.

Vt igitur attentatum committatur, requiritur primo quidem, vt adpellatio legitime interposita, et iudici a quo intimata sit. Deinde vt per eam iurisdictio iudicis a quo suspensa

ſa ſit. Quae, quum adſunt, adtentati reus eſt iudex, ſi quid non modo poſt adpellationem iudicialem interpoſitam, ſed et, ſi quid medio ſententiam inter, et adpellationem tempore innouauerit. vid. *cap. 7. pr. h. t. in VI. clem. 1. eod. 19. de elect.*

§. DCCCXXII.

Adpellationis ſpecies eſt recuſatio iudicis et relatio ad ſuperiorem.

Poſtremo vim adpellationis habet recuſatio iudicis ſuſpecti propterea, quod iurisdictionem eius ſuſpendat, et cauſam ad ſuperiorem deuoluat. Sed et relatio ad ſuperiorem de iure dubio idem praeſtat, cuius exemplum partibus edendum eſt. vid. *cap. 36. h. t. cap. 68. eod.* Nov. 185.

§. DCCCXXIII.

De adpellatione ad ſedem romanam.

De adpellationibus ad ſedem romanam, quae hodie paſſim per orbem chriſtianum vigent, anceps eſt, et difficilis inter catholicos doctores quaeſtio, de qua, quoniam hic de ea peropportunus eſt dicendi locus, nonnulla monere operae pretium eſt.

§. DCCCXXIV.

§. DCCCXXIV.

Cui nec canones concil. nicaen. nec chalcedon.

Et quidem antiquiſſimam eccleſiae diſciplinam canonibus conciliorum tum generalium tum particularium ſtabilitam hunc fuiſſe videmus, vt adpellationis ad ſedem romanam nullum veſtigium reperiatur. vid. CONCIL. NICAEN. *I. can. V.* CHALCEDONENS. *can IX. et XVII.* NOVEL. 123. *cap.* 22. Niſi fortaſſe *canon.* 3. *et* 4. SYNODI SARDICENSIS eidem faueant. Et vero hi ſunt, quibus non collatum primum, ſed iam inde ab initio ex iure primatus competens adpellationes recipiendi ius ſedi romanae confirmatum eſſe contendunt.

Verba canonis III. ex verſione Dionyſii Exigui ita ſonant: *Quod ſi aliquis epiſcoporum iudicatus fuerit in aliqua cauſa; et putat ſe bonam cauſam habere, vt iterum concilium renouetur; ſi vobis placet, ſancti Petri memoriam honoremus, vt ſcribatur ab his, qui cauſam examinarunt, Iulio romano epiſcopo, et ſi iudicauerit renouandum eſſe iudicium, renouetur, et det iudices. Si autem probauerit talem cauſam eſſe, vt non refricentur ea, quae acta ſunt, quae decreuerit, confirmata erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus reſpondit: placet. can. IV. ex* eiusdem verſione ita legitur: *Gaudentius epiſcopus dixit: Addendum, ſi placet, huic ſententiae, quam plenam ſanctitate protuliſti; vt cum aliquis epiſcopus depoſitus fuerit eorum epiſcoporum iudicio, qui in vicinis locis commorantur, et proclamauerit agendum ſibi negotium in vrbe Roma: alter epiſcopus in eius cathedra, poſt adpellationem eius, qui videtur eſſe depoſitus, omnino non ordinetur, niſi cauſa fuerit in iudicio epiſcopi romani determinata. ap.* HARDVIN. *tom. I. col.* 639.

§. DCCCXXV.

Nec ipſius ſynodi ſardicenſis fauent.

Sed iam dudum animaduerſum eſt ab eruditis, falli eos, qui his canonibus ius adpellandi ad ſedem romanam iure diuino cum primatu cohaerens firmatum eſſe duntaxat contendunt. Id enim ſi verum eſſet, quid ſibi volunt hoc: SI VOBIS PLACET. Num ius per ſe cum primatu cohaerens a ſynodi pendet arbitrio? Nouum igitur aliud inſtar priuilegii romano pontifici tributum fuiſſe fateri neceſſe eſt.

§. DCCCXXVI.

Ius enim adpellandi, quod in hac rom. pontifici tribui videtur.

Ius autem, quod a ſynodo ſardicenſi romano pontifici antea non cognitum tributum eſt, quale ſit, videamus. Eſſe illud ius adpellandi contendit NATALIS ALEXANDER *hiſtor. eccl. diſſert. XXII.* quod ex CANONE IV. (aliis quinto) eruere ſibi poſſe videtur. Quod mihi non videtur. Qui enim adpellationis vim in memoriam reuocat, et eam ad laudati canonis verba refert, fieri non poteſt, quin de alio quopiam iure ea eſſe intelligenda, haud difficulter perſpiciat.

Si adpellationi locus eſt, cauſa omnis a iudice inferiore ad ſuperiorem deuoluitur: ſententia inferioris iudicis ſuſpenditur: cauſa a ſuperiore excutitur,

titur, quas quidem adpellationis effectus in laudato synodi Sardicensis canone nemo deprehendat, vid. PETRVM DE MARCA *lib. VII. dec. S. et I.*

§. DCCCXXVII.

Aliud non est, quam ius retractandi seu reuidendi, quod cum iure adpellandi nihil commune habet.

Ius itaque a patribus huius synodi romano pontifici adtributum non est aliud, quam ius seu retractandi, seu reuidendi, diuersum sane, nihilque commune habens cum eo, quod ius adpellandi dicimus. Non enim conceditur pontifici sententiam reformandi potestas, sed iudicandi duntaxat, an iudicium sit in concilio reformandum, et hoc ipsum quidem non per se, sed per delegatos, eosque episcopos prouinciae vicinos.

Sensum canonum sardicensium nemo expressit melius, quam episcopi prouinciae Rhemensis *in epistola concilii laudunensis A.* 865. *data: si forte, quod non putamus*, aiunt: *visum vobis necessarium fuerit, vt secundum sardicenses canones renouetis iudicium, et detis iudices, scribendo episcopis, qui in finitimis, et vicinis prouinciis sunt, vt et ipsi omnia diligenter requirant, et iuxta fidem veritatis definiant: vel si decreueritis mittere a latere vestro habentes auctoritatem vestram, qui cum episcopis iudicent, eo in gradu adhuc non restituto, sicut sacri sardicenses canones praecipiunt, non abnuimus.*

§. DCCCXXVIII.

Haec disciplina et in ecclesia orientali.

Est sane, quod ad orientales pertinet, eos iura sua de ordine iudiciorum iam olim constituta, et a nobis superius exposita, etiam post sardicensem synodum constanter retinuisse in comperto est. Et falluntur, qui orientales, eo quod canones synodi sardicensis collectioni suae inseri voluerint, in synodo Trullana a disciplina iam olim recepta discessisse opinantur: quod vsum veteris disciplinae ab iis etiam post hanc synodum fuisse retentum nemini dubium esse possit, qui res gestas orientis non ignorat.

§. DCCCXXIX.

Et occidentali etiam post synodum Sardicens. diu adhuc viguit.

Sed nec occidentis ecclesia canones sardicenses diu recepit. Ecclesiae africanae disciplina notissima est, et quum Zosimus P. sardicenses canones tanquam nicaenos Afris obtrudere vellet, quos motus concitauerit, nemo ignorat. Quid? quod et Galli, et ipsi Itali non simplici vice veterem disciplinam aduersus pontificum conatus tuiti sint.

Qua de re videri possunt VAN-ESPEN. *comment. in canones in dissert. in synodos africanos* §. 10. STEPHANVS BALVZIVS *in praefat. ad libros Antonii Augustini de emend. decret. gratian.*

§. DCCCXXX.

§. DCCCXXX.

Quam deinde penitus contriuit.

Denique, quum libertas ſynodorum diu perſtitiſſet, eam contriuit penitus Iſidori mercatoris auctoritas, qui, vt vetuſtatem iuris adpellandi ad ſedem romanam oſtenderet, non contentus canones Sardicenſes interpolaſſe, integras etiam veterum pontificum decretales confinxerat a Gratiano diligenter in decretum ſuum relatas. vid. GRATIANVM *cauſ. II. q. VI. can.* 4. 5. 6. 7. *et* 8. VAN-ESPEN. *in comment. ad hos canon.* FLEVRIVS *inſt. iur. eccleſ.* c. 23. *P. III.*

§. DCCCXXXI.

Pſeudo-Iſidori auctoritas falſis ſuis epiſtolis.

Ex iisdem Pſeudo Iſidori commentitiis epiſtolis promanauit facultas libere prouocandi a quibuscunque iudiciis in cauſis quibuscunque ad romanum pontificem: *ſi quis veſtrum pulſatus fuerit in aliqua aduerſitate, libenter hanc ſanctam, et apoſtolicam ſedem adpellet, et ad eam quaſi ad caput ſuffugium habeat, ne ipſe innocens damnetur, aut eccleſia ſua detrimentum patiatur.*

Sunt verba ſuppoſititiae epiſtolae SIXTI P. I. *cauſ. II. q. VI. can.* 4. eiusdem momenti eſt *can.* 8. *ibid. ex epiſtola* ZEPHIRINI deductus. vid. VAN-ESPEN. *in comment. ad hunc locum.*

§. DCCCXXXII.

Quibus curia romana innixa quorumque procurationes et adpellationes admittere non dubitauit.

Et tamen harum epiſtolarum auctoritate innixa curia romana adeo in recipiendis adpellationibus liberam ſe habere poteſtatem ſibi viſa eſt, vt eas admitteret, non a ſententiis definitiuis tantum, ſed et interlocutoriis: nec in maioribus duntaxat cauſis, ſed et in leuioribus. Quid? quod haud raro cauſa principalis etiam in prima inſtantia auocaretur. vid. FLEVRIVS *in diſcurſ. hiſtor. IV. §. 5.*

§. DCCCXXXIII.

Frequens haec ad curiam rom. adpellatio graues querellas excitauit.

Frequens haec in cauſis quibusuis adpellatio ad curiam romanam, cauſarumque auocatio, quae ſeculo IX. inualuit, graues virorum doctorum iuxta, ac Sanctorum querelas excitauit.

Omnium loco nobis eſſe poteſt S. BERNARDVS *lib. III. de conſid. cap.* 2. vbi: *Quantos nouimus adpellaſſe pulſatos;* ait, *quo interim liceret, quod nunquam licet? nonnullis etiam quoad vixerunt, licuiſſe adpellationis ſuffragio, nefaria ſcimus v. g. inceſtum, adulterium. Quale eſt hoc turpitudini patrocinari, quod vel maxime formidari a turpibus oportebat? Quousque murmur vniuerſae terrae aut diſſimulas, aut non aduertis? quousque dormitas? quousque non euigilat conſideratio tua ad tantam adpellationum confuſionem at-*

que

que abusionem. Praeter ius, et fas, praeter morem, et ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non causa discernitur, aut persona. Praesumuntur leuiter passim, plerumque et nequiter. Volentes malignari, nonne his potissimum terreri solebant? Nunc terrori ipsi ex his magis fiunt, atque id bonis antitodum versum in venenum. Non mutatio dexterae excelsi haec.' --- Adde Van-Espen. *iur. vniu. eccl. P. III. tit. X. c. 1. §. 9. et 10. tom. II.*

§. DCCCXXXIV.

Aliisque superioribus ecclesiasticis exemplo fuit, vt faciles fuerint in recipiendis quibuscunque adpellationibus.

Quo exemplo ducti metropolitani primates, aliique superiores, ad quos per adpellationes causae deuoluebantur, faciles sese in quibuscunque recipiendis adpellationibus praebuerunt, praecipue, quum litigandi ratio iam tum in foris ecclesiasticis recepta lucri spem non exiguam praeberet.

§. DCCCXXXV.

Cui malo nimis inualescenti patres concil. trid. *variique pontifices frustra medicinam in hunc diem quaesiuerunt.*

Non ignoro id quidem, quam sollicite non modo concilii tridentini patres, sed et ipsi pontifices romani Clemens VIII. Gregorius XV. Vrbanus VIII. Benedictus XIII., et imprimis Benedictus XIV. huic malo medicinam quaesierint. An tamen non in

in hanc diem iuſtae ſint aduerſus adpellantium abuſum nationum querelae, haud immerito ambigunt rerum publicarum iuſti aeſtimatores. CONCIL. TRID. *ſeſſ. XXIV. c.* 20.

Vid. MEVII CORP. IVRIS HVNGAR. ad *h. t.*

§. DCCCXXXVI.

Prouocatio a ſententia pontificis ad generale concilium.

At genuino magis ac firmiore nititur fundamento frequenter in vſum deducta a ſententia pontificum ad generale concilium prouocatio. Quum enim eſſe oporteat in omni ſocietate ſupremum aliquod iudicium, id in eccleſia chriſtiana non eſt aliud, quam concilium generale, cuius ſupremam poteſtatem iam alibi probare conati ſumus.

§. DCCCXXXVII.

Eſt legitima.

Quare adpellationem a pontifice ad concilium generale factam eſſe legitimam, non eſt ambiguum: S. AVGVSTINVS ſane non dubitauit; ita enim ille: *Ecce, putemus illos epiſcopos, qui Romae iudicarunt, non bonos fuiſſe iudices: reſtabat adhuc plenarium eccleſiae vniuerſae concilium, vbi etiam cum ipſis iudicibus cauſa poſſet agitari, vt ſi male iudicaſſe conuicti eſſent, eorum ſententiae ſoluerentur.*

In

In *epist.* 43. *col.* 97. *tom.* *II.* quae est de iudicio in causa Donatistarum a MELCHIADE P. lato vid. IAC. BENIGNVS BOSSVET. *in defens. declarat. cleri gallic. lib. XV. cap.* 23.

§. DCCCXXXVIII.

Quod plurimis exemplis confirmatur.

Et sane tam frequentia adpellationis istius exempla memoriae prodidit historia ecclesiastica, vt difficile sit earum omnium inire numerum. Iuuerit tamen illustriora quaedam referre.

Ita enim ecclesia anglicana A. 1246. ad futurum concilium prouocauit, quum eam tributis non solitis exigendis premeret INNOCENTIVS III. ap. MATTH. PARIS *in hist. mai. pag.* 953. PHILIPPVS PVLCHER *A.* 1303. adhaerente ei clero gallicano contra BONIFACIVM VIII. ap. DE MARCA *lib. IV. cap.* 16. §. 7. similiter MICHAEL CAESENAS *ord. min.* generalis ad concilium prouocauit a IOANNE XXII. haereseos condemnatus ap, RAYNALDVM *ad A.* 1428. §. 64.

§. DCCCXXXIX.

In quibus casibus adpellationi tanquam ab abusu potestatis ecclesiasticae locus sit.

Superest, vt de adpellatione tanquam potestatis ecclesiasticae abusu nonnulla moneam. Eius fundamentum ignorare nemo potest, qui ea, quae alio loco de iure summi imperantis, atque officio, quod defendendis ecclesiae non suae tantum, sed et vniuersae iuribus, ac canonibus, tum in tuendo subditorum suorum

iure impendere obligatur, commentati fumus non ignorat.

Agnouit hanc imperantium chriftianorum poteftatem LEO III. P. ad LVDOVICVM IMP. ita fcribens: *Nos, fi incompetenter aliquid egimus, et in fubditis iuftae legis tramitem non conferuauimus, ac veftrorum miffo-rum cuncta volumus emendari iudicio.* vid. GRATIANVM *cauf. II. q. 7. can.* 41. Atque hoc iure vtitur Gallia, Hifpania, Sabaudia, Germania, Belgium, omniaque alia chriftiani populi regna, vt probauit FEVRET. *in tract. de abuf. lib.* 1. *cap.* 3. vid. BARTHEL. *in annot.can. lib. III. tit. V. pag. ad ius* 214. *feq.*

§. DCCCXL.

Traditur regula.

Cafus, quibus hoc iure vti liceat, hac regula poffe comprehendi exiftimo: *Quidquid contra publicam vtilitatem, ftatum, ac tranquilitatem reipublicae: quidquid aduerfus leges, et confuetudines regni, iuraque aut ecclefiae, aut fingulorum actum eft, id per abufum actum videri, et publica auctoritate poffe emendari.*

§. DCCCXLI.

Connexio.

Sententiam, a qua prouocatum eft, haud raro a lege, aut a fuperiore confirmari contingit. Qua ex caufa factum eft, vt hic titulus fubiiceretur. Ceterum cum in textibus huic rubricae fubiectis de confirmatione omnium

actuum decernitur, consentaneum huic loco fuit, de confirmatione generatim exponere.

§. DCCCXLII.

Confirmatio describitur.

Est autem *confirmatio actus gesti aut iuris a legitimo superiore facta corroboratio.* Eaque fit aut a summo principe, aut a magistratu illi subiecto. A summo quidem principe, quum causa eidem reseruata est, maxime si per modum dispensationis et gratiae petitur. A magistratibus vero subalternis petitur confirmatio iis in negotiis, quae iurisdictioni eorum subiiciuntur.

Ita priuilegiorum confirmatio non nisi a summo imperante impetranda est, quippe is solus est in ciuitate priuilegii auctor: at confirmari tutoris datio etiam a magistratu potest.

§. DCCCXLIII.

Peti debet a legitimo superiore.

Quo in genere animaduertendum est, ea, quae causae cognitionem non desiderant, a quocunque magistratu confirmari posse, quippe quae voluntariae iurisdictionis sunt, quaecunque sine causae cognitione legitime expediri nequeunt, ea a iudice competente, et quidem pro tribunali confirmanda sunt.

 §. DCCCXLIV.

§. DCCCXLIV.

Alia est vtilis, alia inutilis.

Confirmationem aliam esse vtilem, aliam inutilem ipsa tituli inscriptio indicat: illam vocant, quae valida est, atque ideo iudicis inferioris potestati iam non subest; hanc eam dicunt, quae subreptitie, aut obreptitie impetrata omni effectu destituitur.

§. DCCCXLV.

Alius est effectus confirmationis in forma communi.

Quae vtilis confirmatio est, ea, si a principe fiat, causa aut omnino non, aut non satis cognita, in forma communi facta dicitur, estque eius haec vtilitas, vt ne quis videatur sine bona imperantis venia ius aliquod vsurpasse; ceterum ipsa ius nouum impetranti non tribuit, supponitque actum iam tum, cum peteretur, fuisse validum. Non igitur illa ex actu nullo efficit actum validum, sed probat duntaxat, quatenus de iure valere potest. *cap.* 1. 4. 7. *h. t.*

§. DCCCXLVI.

Alius in forma speciali factae.

Maioris auctoritatis est confirmatio in forma speciali ita dicta, quae fit cum plena causae cognitione; ea enim actus alias inualidus

ita

ita roboratur, vt subsistat; ex quo patet, per eam nouum impetranti ius tribui in iis maxime iuris articulis, qui sine superioris confirmatione vim habere nequeunt.

Ita olim tutor ab eo datus, qui ius dandi non habuit, confirmandus erat. *l.* 1. §. 2. *D. de confirm. tut.* ita statuta iuri communi contraria confirmanda sunt.

§. DCCCXLVII.

An confirmatio praeuia causae cognitione fuerit facta, nec ex coniecturis.

Sitne autem confirmatio cum debita causae cognitione facta, nec ne, plurimum refert, in quo quidem iudicio ad varias coniecturas confugiunt interpretes, quarum aliae aliis sunt debiliores. Sunt, qui praeuiae huius cognitionis argumentum ex eo dicunt, quod tenor instrumenti, aut priuilegii confirmationi fuerit insertus. *arg. cap.* 8. *h. t.* sed, si casum eius capituli, rationemque, quam reddidit pontifex, consideres, nihil id momenti habere ad hanc faciendam coniecturam deprehendes.

§. DCCCXLVIII.

Nec ex clausulis adiectis satis liquido constare potest.

Alii inde ducunt coniecturam, si literis confirmationis inserta sit clausula: ex certa scientia: eamdem vim multi adscribunt formulis

mulis: ex plenitudine poteſtatis: non obſtante quacumque lege, ſtatuto, et conſuetudine, quae ſit in contrarium; ſed, qui praxim curiarum non ignorant, ii facile intelligent, formulis his non admodum eſſe deferendum; adiiciuntur enim fere pro more, et conſuetudine curiarum, quarum nulla his ſolennibus caret.

§. DCCCXLIX.

Sed ex ſolis actis publicis.

Itaque ex certa ſcientia confirmationem fuiſſe factam, haud ſatis liquido conſtare poteſt, niſi id acta publica demonſtrent, veluti, ſi ex protocollo adpareat, rem in conſiſtorio principis, aut iudicio legitime fuiſſe in deliberationem deductam, rationesque in vtramque partem examinatas, circumſtantiarum omnium habitam fuiſſe rationem ita, vt nulla ſub- aut obreptio metuenda ſit.

§. DCCCL.

Diuiditur praeterea confirmatio in neceſſariam et voluntariam.

Atque haec fuit altera confirmationis diuiſio, quam ſequitur ea, quae in neceſſariam, et voluntariam abit. Neceſſaria tunc requiritur, quando ſiue actus omnino non valet, aut ſaltem effectum plenum non ſortitur. Ex quo genere eſt confirmatio electionis: poſterior autem voluntatis, et conſilii eſt, quando actus

etiam

etiam sine confirmatione subsistit, eum tamen in finem accedere solet, vt eo maiorem habeat auctoritatem.

Ita contractus, pacta, ceteraque negotia iudicialia confirmatione iudiciali non indigent. An priuilegia a successoribus singularibus sint confirmanda? dubitant: mos ita iam inde a TIBERIO obtinet, de quo SVETONIVS in vita VESPASIANI *cap.* 8. quum instituto TIBERII omnes dehinc caesares beneficia a superioribus concessa principibus aliter rata non haberent, quam si eadem iisdem et ipsi dedissent.

§. DCCCLI.

Neutra actui inualido semper tribuit valorem.

Ceterum; cuius demumcunque generis confirmatio fuerit, etiam ea, quae in forma speciali datur, actum non reddit validum, qui laborat defectu, in quo aut non solet dispensari, nisi posterioris huius speciatim facta sit mentio.

Exemplum est in confirmatione electionis praelatorum, in qua nominatim addi solet clausula, qua supplentur defectus tam iuris, quam facti, qua tamen defectus habilitatis personae, aut simoniae non comprehendi omnes fatentur.

§. DCCCLII.

Quamuis confirmationes debitis clausulis munitae partibus os claudere, et manum iudicis ligare dicantur.

Confirmationes supra dictis clausulis munitae, vt docent styli curiae romanae fautores, par-

partibus os claudunt, et manum iudicis ligant. Ex quo fit, vt nullum ſit inferiori iudici de iis iudicium, niſi is, cui illae praeiudicant, a pontifice apertionem oris in ſignatura gratiae petat; aut niſi ſub- obreptionisue vitia ſint manifeſta, quae vel per confeſſionem, vel probationem legitime mota fuerint, aut euidentia rei, quae nulla tergiuerſatione celari poteſt. *cap. 2. h. t. cap. 24. de verb. ſig.*

§. DCCCLIII.

Iudex tamen inferior de confirmatione pontificis incidenter iudicare poteſt.

Non negant tamen, quin iudex inferior de confirmatione pontificis iudicare poſſit incidenter, vt aiunt, ſcilicet iudicando: literas laborare vitio; illum, cui gratia data, ea indignum; actum in forma communi confirmatum iam ante fuiſſe inualidum, quae ſunt huius generis plura. Exempla ſunt *in cap. 5. et 6. h. t.* quamquam vtrumque alia quaque ex ratione inualidum videri poſſit.

Vid. Heineccii Pand. *lib. XLIX. tit. I. ſeq.*

IN-

INDEX

RERVM, et VERBORVM

Vbi numerus 1mus paginam et alter §phum denotat.

A.

Arbi-

B.

Cano-

tetra-

quan-

eorum

erp-

quae

Hispa-

intra

an

trans-

M.

quae

sim-

iu-

quid

quo-

intra

quis

quot

quas

V.

Errata. — *Lege.*

Pag.	Lin.	Errata.	Lege.
61.	13.	CHI.	CIII.
66.	1.	tolerania.	tolerantia.
99.	5.	gradum.	graduum.
105.	5.	Sanctificentur.	Sanctificentur.
125.	23.	dignitatas.	dignitas.
172.	1.	episcpoos.	episcopos.
203.	22.	bene fici.	beneficii.
206.	18.	scde.	sede.
258.	ult.	YHLLIPP.	PHILIPP.
265.	2.	disensus.	dissensus.
267.	27.	romouentur.	remouentur.
275.	10.	nanscisсatur.	nanciscatur.
276.	23.	ECCLESIASIASTICUS.	ECCLESIASTICUS.
279.	11.	suscipione.	suspicione
280.	13.	distitutus.	destitutus.
303.	13.	donum.	domum.
384.	12.	habere.	haberi.
410.	13.	DCCXXVII.	DCCLXXVII.
414.	3.	DCCXXXVII.	DCCLXXXVII.
414.	23.	DCCXXXVIII.	DCCLXXXVIII.
415.	4.	DCCXXXIX.	DCCLXXXIX.
418.	23.	iudicatum.	iudicatam.

Reliqua Lectorum beneuolentia supplebit.

	DATE DUE		